SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XVII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE



XVII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi
Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1872.

ROMANORUM

PONTIFICUM

EPISTOLAE SELECTAE.

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

nicum omnesque oves Christi per totum habitabilem mundum creditas[1]) censebat. Scribebant autem has epistolas plerumque in coetu episcoporum, episcopis quam plurimis suffragantibus, adeo ut epistolae synodicae haberi possint[2]). In illis vero respondent ad consultationes, quae ex Oriente atque ex Occidente ab episcopis vel integris synodis ad sedem apostolicam dirigebantur[3]): vel ecclesiae consulunt unitati controversiis erroribusque laesae, vel disciplinam morum licentia, pastorum negligentia, ignorantia canonum labefactatam restaurant atque inculcant. Literae ipsae inscriptae sunt nobilissimis ecclesiis, integris synodis, episcopis universis unius vel etiam plurium provinciarum. Nunquam fere agunt de re minoris momenti, sed de negotiis gravissimis, de fide, de Ecclesiae unitate, de sacramentis, de disciplina atque canonum observatione; hinc fontes uberrimi sunt, ex quibus discere licet, quae ad antiquae Ecclesiae fidem, praxim, disciplinam etc. spectant. Auctoritatem

---

[1]) Eccl. orient. in ep. ad Symmachum (Mi. 62, 57.).

[2]) Id ostendit Constantius in praef. suae edit. p. 1. n. 33. et colligitur ex ipsis epist. quas hic edemus, ut Julii ad Eusebianos n. 8; Siricii ep. ad Himerium n. 1. etc.

[3]) Id patet ex infra dicendis.

vero spirant, qualis decet eum, cui claves regni coelorum sunt concreditae, adeo ut vel ex hac authentica scribendi forma facile discerni possint literae apostolicae a literis quoruncunque episcoporum. Hinc factum, ut magno reverentiae pietatisque sensu ejusmodi literae exciperentur, juxta eorum tenorem controversiae dirimerentur, secundum illa Augustini [1]) in controversia cum Pelagianis: „Iam de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam finiatur aliquando error.“ Harum vero literarum fructus censeri debet haeresum damnatio, discordiarum compositio, disciplinae restauratio, doctrinae catholicae illustratio et expositio.

3. Cum ergo tantum sit harum epistolarum momentum, illarum saltem potiores desiderari non licet in hac collectione, ut ita omni ex parte in theologiae studiosorum utilitatem cedat, eoque magis quod illae splendidum sint testimonium pro romani pontificis primatu ab omnibus Christi fidelibus jam in antiquitate agnito. Liceat nobis hoc pro romani pontificis primatu argumentum, cui epistolae pontificiae sponte sua occasionem praebent, si non fusius exsequi, saltem aliqua-

---

[1]) Serm. 131. al 2. de verbis Ap. n. 10.

tenus adumbrare[1]). Patebit enim facta ipsa loqui atque romanorum episcoporum in universam Ecclesiam primatum testari longe splendidius, quam ulla verba possent. Cum vero ejusmodi factorum ingens sit numerus, ea ad quasdam revocabimus species[2]).

4. Romani episcopi primatum testantur 1) tot *consultationes* ex quavis orbis plaga ad sedem apostolicam missae, ut patet ex pluribus epistolis, quas hic edemus[3]), quibus speciminis gratia adde consultationem Dionysii alexandrini,

---

[1]) Provocabimus autem potissimum ad facta, quae Leonem Magnum praecesserunt, tum quia de romani pontificis primatu a Leonis tempore dubium nullum esse potest, tum quia romanorum episcoporum epistolas ad Xystum III. usque modo edemus, alias edituri epistolas Leonis. Subinde tamen etiam posterioris aetatis utemur factis.

[2]) Verba ex epistolis, quae in hoc et sequenti tomulo prostabunt, brevitatis gratia in hac expositione non adducemus, sed indicasse sufficiet.

[3]) Cf. inprimis Hieronymum ep. 15, 16. opusc. t. 11. ep. 2, 3, ubi plane luculentum consultationum specimen et in quaestione fidei et in negotio communionis ecclesiasticae reperies; Siricii ep. 1. ad Himerium tarracon. n. 1, 6; ep. 2. (al 10) n. 2. Innocentii I. ep. 1. (al. 2); ad Victricium; 2. (al. 6); ep. 4. (al. 17); 5. (al. 25); 6. (al. 25.) 7—12. (al. 26—31) 13. (al. 37.); Bonifacii ep. 5. al. 15. n. 1. etc.

qua de cujusdam baptismo Xystum II. consulit, ita ad eum scribens[1]: „Profecto opus habeo, frater, consilio tuo et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato,“ quod dein exponit. Luculenta vero sunt haec Hieronymi de se referentis: „Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum romanae urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem etc.[2].“ De Rufino Anastasium I. consuluit Joannes hierosolymitanus[3]; ad episcopos Illyrici scribit Coelestinus ep. 3: „Inter ceteras curas et diversa negotia, quae ad nos ex *cunctis* veniunt *semper* ecclesiis, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere . . . poteritis advertere.“ Hujus vero facti rationem mox reddit: „Nos praecipue

---

1) Ap. Eusebium Hist. eccl. l. 7. c. 9.

2) Epist. 123. ad Agerruchiam al. 11. n. 10. Expende hic quatuor: 1) consultationis *factum*; 2) ejus quoad locum *amplitudinem*, consulebant enim Damasum non solum romani vel itali, sed universim occidentales, imo et *orientales*: 3) consulentium *auctoritatem*, consulebant enim non solum indocti de plebe, vel episcopi singulares sed et *synodi*: 4) consultationis *frequentiam*, de brevi enim illo tempore, quo Romae apud Damasum versabatur, loquitur s. Hieronymus. Cf. etiam insigne Innocentii testimonium infra ep. 11. al. 30. n. 2.

3) Cf. Anast. ep. 2. n. 2.

circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in s. Petro ap., cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit.“ Quid vero luculentius illis, quae legimus in literis synodi sardicensis ad Julium n. 1: „Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput i. e. ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.“ Quanti vero haec synodus romanae sedis fecerit primatum, liquet ex canonibus 3, 4, 5. al. 7. ab ea editis[1]. Eandem etiam rationem reddit Possessor, episcopus afer, de Fausti rejensis libris ad Hormisdam recurrens: „Decet et expedit, inquit ille, ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Qui enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis

---

[1]) His canonibus non tribuitur romanis pontificibus jus decernendae revisionis judicii in aliquem episcoporum lati, sed verum jus recipiendae appellationis ex qualibet Ecclesiae parte: nec vero *tribuitur* illis hoc jus, quasi eo caruissent, cum illud jurisdictionis primatui in universam Ecclesiam essentialiter sit annexum, sed *declaratur* ac *vindicatur* contra arianos, qui plures episcopos non obstante horum ad sedem romanam appellatione dignitate spoliarunt aliosque in eorum locum ordinaverunt. Cf. Lupus scholia in hos cc.; Ballerinii in observat. ad dissert. V. Quesnelli p. 1. c. 6.

nutantis fidei stabilitas exspectanda, quam ab ejus sedis praeside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18)?"

5. Scimus equidem et alios episcopos vel viros scientia et sanctitate eminentes undique passim fuisse consultos in quaestionibus fidei et disciplinae ut s. Augustinum, s. Basilium, s. Hieronimum et alios, sed non propterea hujus facti vis ad confirmandum pontificis primatum elevatur, sed potius illustratur atque roboratur.

Nam hae consultationes erant, si ita fas est loqui, *personales*, consulebantur scil. hi episcopi propter insignem qua clarebant sapientiam, et hinc quia haec non transibat in eorum successores, cum eorum morte hae consultationes cessabant, neque enim Augustini successor consulebatur ut ipse Augustinus. Consulebantur deinde a *singularibus* non ab integris synodis; responsa vero dabant cum modestia, non cum auctoritate: quin vellent obligare, sed tantum docere[1]). Romanos vero episcopos consulendi

---

[1]) Cf. horum patrum verba cum verbis Innocentii I. ad conc. milev. n. 1. etc.; Siricii ad Himerium tarrac. n. 2, 3, 4, 11, 19, 20. Quo autem sensu pontificum responsa exciperent episcopi, liquet ex epistola episcoporum Taraconae congregatorum ad Hilarum (a. 465. Mig. 50, 15): „Proinde nos Deum

praxis, si *tempus*, si *locum* spectes, est *universalis*, est *constans*: si consulentium numerum vel dignitatem, ea est *solemnis*: si titulum, non innititur ea dotibus personalibus, sapientiae, prudentiae etc. (nam plerique romani episcopi non claruerunt scriptis operibus scientiaque), sed innititur romanorum episcoporum muneri, quo sunt *petra fidei*, *Ecclesiae fundamentum*, *unitatis centrum*, quo debent pascere non solum agnos sed et oves, confirmare nutantes fratres. „Sicut a persona b. Petri apostoli, inquit Caesarius arelatensis ad Symmachum rationem reddens, quare ad illum in negotiis ecclesiasticis scribat, episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat [1]."

6. Verum non solum consulebant majores nostri sedem apostolicam, sed ad eam recurrebant in

---

in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus apostolico ore laudatam (Rom. 1, 8), inde responsa quaerentes, unde nihil errore, nihil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur."

[1]) Cf etiam verba synodi sardicensis, Coelestini et Possessoris n. praec. allata, quibus hujus facti rationem reddunt, quam passim leges in epistolis, quas edemus.

negotiis ecclesiasticis, ut episcopi romani pro suo munere et sollicitudine bono prospicerent sive ecclesiarum particularium sive universalis Ecclesiae. Hujus recursus testes sunt [1]) martyres lugdunenses, quem teste Eusebio [2]) pro pace ecclesiarum Asiae erroribus Montani turbatarum apud Eleutherium (a. 177) legatione functi sunt; testis jam ante illos s. Polycarpus, episcopus smyrnensis, quem non piguit ex remoto Oriente sub Aniceto propter nonnullas controversias Romam usque venire [3]); testis s. Cyprianus, qui ep. ad Stephanum data eum rogat, ut literis ad episcopos Galliarum missis curet, ne Marcianus arelatensis episcopus Novatiano addictus necdum se abstentum (communione privatum) esse amplius glorietur, simulque operam det aliis literis in provinciam et ad plebem arelatensem scriptis alium epis-

---

[1]) Cf. infra luculenta suffragia, quae praebent synodi milevitana et carthaginensis et episcopi africani, inter quos Augustinus, literis suis ad Innocentium I, cum hujus responsis; Cyrillus al. ep. ad Coelestinum etc.

[2]) Lib. 5. c. 3. Hist. eccl. Cf. c. 4.

[3]) Eusebius l. c. l. 5. c. 24. Hieronymus de viris ill. c. 17. Schmidt (Bibliothek für Kritik und Exegetik 2, 1) suspicatur: „Sie (Polycarpus et Hegesippus, qui paritur Romam venerat) hätten mit dem Bischof von Rom die Nothwendigkeit der Einheit und den Primat verabredet!“

copum in ejus locum subrogari; testis concilium arelatense (a. 314) binis ad Silvestrum epistolis, quarum prima rogat, ut *juxta consuetudinem* literas ad omnes ipse dirigeret, quibus significaret, quo die singulis annis celebranda sit paschalis solemnitas, ut uno die et uno tempore *per omnem orbem* ab episcopis celebraretur; testes plurimi episcopi aegyptii in causa Athanasii ad Julium [1]) et Liberium [2]) scribentes; testis Basilius ep. 70. al. 220. ad Damasum, in qua tristissimum Orientis statum exponit atque subjicit: „Horumce malorum unicum esse remedium duximus vestrae commiserationis visitationem,“

---

[1]) Cf. infra ep. Julii n. 9, 11, 14. Etiam Hilarius fragm. IV. n. 2. testatur: „Quales literae ex Aegypto omni atque Alexandria ad Julium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communione, tales nunc ad Liberium . . . datae sunt de tuenda.“

[2]) Qui non solum testatur 80 episcopos aegyptios ad se recurrisse pro Athanasio, verum etiam episcopos Ario faventes contra Athanasium, ita ad Constantinum (ep. 4. n. 2) scribens: „Satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos orientalium literas (in quibus crimina contra Athanasium continebantur) intimasse, legisse ecclesiae, legisse concilio, atque haec etiam orientalibus respondisse, qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore 80 episcoporum aegyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italiae.“

quam dein enixe efflagitat, qua de re etiam ita ad Athanasium ep. 69. al. 52. n. 1. scribit: „Nobis autem operae pretium esse visum est ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium dare, ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur [1]) eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos etc.;“ testes episcopi orientales, qui a Damaso Timothei, Apollinarii discipuli, damnationem postularunt [2]). Hinc cum Siricius tamquam bonus pastor Ecclesiae incolumitati invigilans Jovinianum haereticum cum sociis damnasset, Ambrosius cum aliis episcopis rescribit [3]): „Recognovimus literis sanctitatis tuae boni pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, et pia solicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Christi audiant et sequantur, et quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendis et oc-

---

[1]) Gr. *αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα.*

[2]) Cf. Damasi ep. 14. n. 3, ubi illis scribit: »Quid igitur depositionem a me denuo postulatis, qui et hic judicio sedis apostolicae . . . depositus est una cum magistro suo Apollinario?« In hac vero ep. orientales vocat *filios carissimos.*

[3]) Inter Siricii ep. 8.

curris quasi providus pastor, ne isti morsibus perfidiae suae feralique ulutatu dominicum ovile dispergant." Saepius episcopi africani recurrerunt ad Anastasium circa ordinandos, ut patet ex codice canonum ecclesiae africanae (cc. 56, 68), gratiasque agunt Domino (c. 65) „quod illi optimo ac sancto antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis, inspirare dignatus est." Cum Augustinus coactus fuisset Antonium, quem Fussalensem episcopum creaverat, propter scelera administratione suae privare ecclesiae isque Romam recurrisset, pulcherrima plane epistola Coelestinum obtestatur, ut subveniat hominibus ejus opem in Christi misericordia avidissime poscentibus[1]). Juvenalis hierosolymitanus episcopus principatum ambiit in synodo Palaestinae provinciali. Illico Romam literas misit Cyrillus al. per Leonem tum archidiaconum Coelestino reddendas „sollicita prece multum exposcens, ut nulla illicitis conatibus (Romae) praeberetur assensio[2])." Archimandritae et monachi secundae Syriae ab eutychianis pessime habiti ad „sanctissimum

[1]) Ep. 1. inter Coelest. epist.

[2]) S. Leo ep. 120. ad Maximum antioch. al. 92. n. 4.

et beatissimum universae orbis terrae patriarcham Hormisdam, continentem sedem principis apostolorum“ confugiunt, quem „Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum animarum constituit.“ Recurrunt vel ipsi episcopi schismatici Eutherius thyanensis et Helladius tharsensis nomine plurimorum episcoporum ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia et Thracia ad Xystum III, ut orbi succurrat. „Et olim siquidem, inquiunt rationem hujus postulationis reddentes[2]), *saepius* jam ex Alexandria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus *suffecit vestra apostolica sedes* per universum tempus illud ad mendacium convincendum impietatemque reprimendam et corrigenda, quae necessarium fuit, muniendumque orbem terrarum ad gloriam Christi tam sub illo ter beato et inter sanctos habendo episcopo Damaso, quam sub pluribus aliis gloriosis atque admirabilibus.“

---

[1]) Ap. Mig. 63, 410.

[2]) Ep. 4. inter ep. Xysti. Favebant isti Nestorio et aversabantur synodum ephesinam. Graviter autem commovebantur, quod eorum velut dux et caput Joannes antiochenus pacem inierit cum Cyrillo alexandrino ac proin cum Ecclesia catholica, cujus hic causam tuebatur. Cyrillum autem respiciunt, cum loquuntur de zizaniis haereticis Alexandriae obortis.

8. Ad hanc 3) sedem „in qua semper catholicis subvenitur [1])“ provocarunt et *appellarunt* episcopi Orientis Occidentisque afflicti, depositi vel sede sua pulsi[2]), ut Basilides Legionis et Asturicae in Hispania episcopus a concilio provinciali depositus, cujus meminit Cyprianus ep. 67; Privatus lambesitanus a 90 episcoporum concilio damnatus[3]); Sabinus et Felix, qui in locum Basilidis et Martialis depositorum ordinati pariter Romam recurrerunt, tum ut mendacia Basilidis coram refellerent, tum etiam ut auctoritate sedis apostolicae contumaces contemptores compescerentur[4]); Athanasius et Petrus alexandrini

---

1) Coelestinus ep. 14. ad Clerum et populum constant. n. 7.

2) Cf. de Athanasio infra ep. Julii ad eusebianos; de Perrevio Bonifacii ep. 8. al. 13. infra n. 3. etc.

3) Cf. ep. cleri romani ad s. Cyprianum inter hujus ep. 36. Ad rem Petrus de Marca, qui jura romani pontificis certe non exaggeravit, advertit (concord. sac. et imp. 1, 77.) concedi quidem posse „ingratas Cypriano fuisse judiciorum in provinciis redditorum retractationes . . . summum tamen jus romanae sedis in sententia de rebus ad se relatis ferenda dissertissimis verbis Cyprianum agnovisse, quod evidentissime patet in causa Marciani arelatensis episcopi, qui se Novatiani . . . partibus adjunxerat (cf. supra p. 9.).“

4) Cf. Barruel, Von dem Papste 1, 155 s.;

antistites, qui „quasi ad tutissimum communionis suae portum Romam confugerant[1]," et „hujus sedis auxilium postularunt[2]." Confugit et Chrysostomus ad Innocentium I[3]; confugit Theodoretus in concilio ephesino a Dioscoro depositus et confugit quidem tum in causa universalis Ecclesiae et in propria: pro illa scribens ad Leonem post Ecclesiae romanae laudes: „Nos spiritualem sapientiam tuam admirati Spiritus s. gratiam, quae per vos locuta est (in epistola ad Flavianum), laudibus extulimus, rogamusque et obsecramus et precamur et supplices oramus sanctitatem tuam, ut tempestate jactatis Dei ecclesiis opem ferat." Mox transiens ad causam

Baronius ad a. 258; Rothensee, Der Primat des Papstes in allen christl. Jahrhunderten 1, 78 s.; Ballorinii observat. p. 1. c. 5. n. 6. ss. in diss. V. Quesnelli in op. s. Leonis.

[1]) Hieron. ep. 127. al. 16. n. 5.

[2]) Bonifacius ep. 15. ad Rufum thessal. n. 6. cujus egregia verba cf. infra. Cf. Socrates l. 4. c. 37. ubi narrat: „Tunc recens ab urbe Roma reversus erat Petrus (a. 379) cum literis Damasi episcopi, quibus ille et consubstantialitatis fidem et Petri ordinationem confirmarat."

[3]) Cf. epistolas Chrysostomi ad Innocentium, dialogum Palladii de ejus vita, necnon quae habet Constantius in notitia epist. non exstantium, quae ad Innoc. attinent n. 12 ss., in primis vero Thomassini diss. 7. in concilia.

propriam exposita ferali tragoedia ephesina ita prosequitur: „At ego apostolicae vestrae sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi *ad rectum ac justum tribunal vestrum provocanti* [1]) opem ferat, jubeatque ad vos venire et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere . . . Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione aquiescere an non, vestram enim sententiam exspecto. Quod si injudicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium exspectabo etc.[2])“ Ita doc-

---

[1]) Graece: *μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καί δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον.* Hisce autem Theodoreti verbis verissimi nominis appellationem a concilio ephesino ad sedem apostolicam significari ostendunt Ballerinii in observ. ad diss. 10. Quesnelli in s. Leonem; ceterum id non indiget probatione.

[2]) Epist. 113. inter ep. Theodor. Ita vero ad Renatum presb. romanum ep. 116. scribit: „Oro sanctitatem tuam ss. et bb. archiepiscopo (Leoni) persuadeat, *ut apostolica potestate utatur* (*τῇ ἀποστολικῇ χρήσασθαι ἐξουσίᾳ*) et ad concilium vestrum advolare praecipiat. Habet enim ss. illa sedes ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus (*τὴν ἡγεμονίαν διὰ πολλά,*) atque hoc ante omnia, quod ab haeretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed apostolicam gratiam integram conservavit. Quae a nobis

tissimus Theodoretus. Confugit denuo episcopus constantinopolitanae ecclesiae, quae alioquin alterum post sedem romanam gradum ambiebat, Flavianus a Dioscoro, episcopo alexandrino, eadem occasione cum Theodoreto in conciliabulo ephesino depositus. Hoc enim testatur Liberatus in Breviario c. 12: „Flavianus contra se prolata sententia, per ejus legatos sedem apostolicam appellavit libello." Testatur Valentinianus imperator in ep. ad Theodosium (inter ep. s. Leonis 55) rationem simul hujus appellationis aperiens. „Debemus, inquit, dignitatem propriae venerationis b. apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare, quatenus bb. romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare ... Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem seu *morem conciliorum* constantinopolitanus episcopus eum per libellos appellavit [1])."

---

fuerint judicata, in his, qualiacunque ea erunt, judicii vestri aequitati confidentes acquiescemus etc." Neque frustra confugisse Theodoretum ad sedem apostolicam patet ex actis concilii calcedonensis, ubi diserte legimus, ss. archiepiscopum Leonem ei restituisse episcopatum.

[1]) Cf. ejusdem ep. ad Pulcheriam 58. et plura ap. Ballerinios in observat. ad diss. 8. Quesnelli,

Plura facta refert Gelasius I. ep. 4. seu in commonitorio ad Faustum magistrum legationis

---

Lupum opp. t. 8. Ad haec facta respiciens Gelasius ita ad episcopos Dardaniae (ep. 13. quae tota huc spectat) scribere potuit: „Sed nec illa praeterimus, quod apostolica sedes frequenter, uti dictum est, more majorum etiam sine ulla synodo praecedente et absolvendi quos synodus inique damnaverat et damnandi nulla exsistente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium synodus orientalis addixerat (damnaverat, deposuerat), quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi graecorum non consensit, absolvit. S. memoriae nihilominus Joannem constantinopolitanum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit; itemque s. m. Flavianum pontificum (*al. additur* graecorum) congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae sedis praesulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate ut synodus calcedonensis fieret, sola decrevit, *(Quae modo sequuntur desunt in cod. veron.)* in qua pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerunt ephesino, veniam poscentibus sola concessit, et in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit: quam congregatio, quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta, quoniam sicut id, quod prima sedes non probaverat constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.“ Ceterum tot fuere ejusmodi appellationes,

fungentem officio Constantinopoli. „Ipsi sunt canones, ita ille, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus alexandrinus et Petrus antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes et ceteri, non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii praeferentes, sola sedis apostolicae sunt auctoritate dejecti . . . Quod utique sicut apostolicam sedem juxta formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuise certissimum."

9. Neque frustra episcopi ad sedem apostolicam confugerunt, ut patet ex plerisque factis, quorum meminimus; liquet quoque ex iis, quae refert Sozomenus, qui plurium episcoporum

---

ut concilium africanum (a. 425. vel 426) id aegre tulerit, non quod illas haberet invalidas, sed noxias; hinc enixe, sed reverenter deprecantur Coelestinum ita ad eum scribentes: „Deprecamur impendio, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultro velitis excipere."

ab arianis sede pulsorum facta mentione ita prosequitur [1]: „Episcopus igitur romanus (Julius), cum singulorum causas cognovisset omnesque in nicaenae fidei doctrinam consentientes reperisset, tamquam idem cum ipso sentientes in communionem recepit. Et *quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat*[2]), suam cuique ecclesiam restituit.“ Liquet pariter ex iis, quae narrat Basilius ep. 263 (occidentalibus inscripta al. 74. scripta a. 377.) n. 3. de Eustathio in oriente quidem deposito, qui tamen confugit ad Liberium, a quo „epistolam attulit, quae eum restituebat, eaque ostensa concilio tyanensi in suum locum restitutus est.“

10. Saepe vero 5) in ejusmodi causis romani pontifices non solum episcopos sua sede pulsos, sed et ipsos judices ad suum citant tribunal ad reddendam rationem, conditionesque praescribunt ad declinandam sententiam sive jam latam sive ferendam [3]. Sic teste Theodoreto (hist. eccl.

---

[1]) Hist. eccl. l. 3. c. 8.

[2]) Graece: *οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν Ἐκκλησίαν ἀπέδωκε.*

[3]) Huc referri possunt quae de episcopis macedonianis referunt Socrates hist. eccl. l. 4. c. 12; et Sozomenus l. 6. c. 10, de quibus agemus in

l. 1. c. 3.) „Julius ecclesiasticam sequens regulam et ipsos (Eusebianos) Romam venire jussit (ἐκέλευσε) [1]) et divino Athanasio ad judicium diem dixit (εἰς τὴν δίκην ἐκάλεσε). Qui simul ac citationem (τὴν κλῆσιν) accepit, in viam quam primum se dedit etc.“ Cum Theophilus alexandrinus episcopus per summam injuriam s. Joannem Chrysostomum deposuisset isque Innocentii implorasset auxilium, romanus pontifex literis ad episcopum alexandrinum datis hunc ita compellat: „Tu igitur, si judicio confidis, siste te ad synodum, quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus nicaeni concilii canonibus . . . securitatem habebis contradictionis expertem [2]).“ Refert quoque

---

monito ep. Liberii praemisso. Multorum factorum meminit infra Bonifacius ep. 5. al. 15. n. 6, 7.

[1]) Cf. gravissima Julii verba infra in ejus ep. n. 22.

[2]) Cf. quoque ep. 19. Innocentii ad Alexandrum antiochenum ep. Miserat hic legationem ad Innocentium, qua hujus petiit communionem. „Sollicitus inquisivi (a legatis), rescribit Innocentius, utrum omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati et vere Deo digni sacerdotis Joannis. Et cum per singula assertio legatorum ex voto completa esse fateretur, gratias agens Domino communionem ecclesiae vestrae ita recepi, ut prae me feram, apostolicae sedis condiscipulos primos dedisse ceteris viam pacis etc.“ In eadem ep. offert etiam Acacio Beroeae episcopo pacem, modo et eadem praestet. Id adhuc clarius

Palladius, Chrysostomi discipulus, in dialogo de hujus vita, Theophilum sancti Chrysostomi depositionem Innocentio literis significasse. Eas literas cum legisset b. Innocentius . . . exhorruit temeritatem fastumque Theophili, aegre ferens et quod solus scripserat et quod rei totius seriem referre omiserat etc." Ad Chrysostomum vero scripsit eodem teste „et Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem synodum orientalium et occidentalium sacerdotum." Damnaverat Flavianus Eutychen; Eutyches Romam appellat, hinc Leo I. episcopo constantinopolitano scribens [1]) de ejus silentio conqueritur additque: „Facti tui vo-umus nosse rationem et usque ad nostram notitiam cuncta deferri," atque iterum postulat ab eo, ut sibi „plenissime et lucide universa, quod ante facere debuit, indicare festinet." Eadem scribit [2]) ad imperatorem conquerens iterum de Flaviani silentio, „quod ea, quae in tanta causa gesta fuerant, etiam nunc silentio detineret, cum studere

---

colligitur ex ep. 21. ad Acacium ipsum, in qua conditiones recipiendae communionis praescribit. Magni pariter momenti sunt in hac re epistolae 22. et 23 ; ep. Hormisdae ad Joan. ep. nicopolit. (7, 8); et ep. Bonifacii infra 5. al. 15. n. 6.

[1]) Ep. 23. al. 20. d. 18. Febr. 449.

[2]) Ep. 24. al. 28.

debuerit primitus nobis cuncta reserare." Quibus excitus Flavianus judicii acta ad Leonem transmittit epistolam suam [1]) ita absolvens: „Solita fiducia utere, sicut sacerdotio convenit, et vindicans communem rem sanctarumque ecclesiarum compositionem dignare per proprias quidem literas suffragari depositioni canonice adversus eum factae; confirmare vero et piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quae insurrexit haeresis et ob eam excitatus tumultus facile cessabit Deo cooperante per vestras ss. literas; prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse synodus, ut ne sanctissimae totius orbis ecclesiae perturbentur." Cum plures episcopi, qui latrocinio ephesino interfuerant, poenitentiam egerint atque Leonis communionem flagitaverint, ita pro auctoritate statuit s. pontifex (ep. 79. al. 59. n. 2): „Quorum desideriis sic praebemus effectum, ut correctis et quae male sunt facta propria subscriptione damnantibus, participata nostrorum quos misimus cura cum supradicto episcopo (Anatolio) pacis gratia tribuatur." Cf. ejus ep. 81—95. in qua postrema

---

[1]) Inter ep. S. Leon. 26. al. 20.

ad Anatolium ep. constantinop. iterum conditiones praescribit, sub quibus episcopi illi lapsi ab ipso et apostolicae sedis legatis recipi possint, cum hac tamen (c. 2.) reservatione: „De his autem, qui in hac causa gravius peccavere . . . horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, maturioribus apostolicae sedis consiliis reservetur, ut examinatis omnibus atque perpensis de ipsis eorum actionibus, quid constitui debeat, aestimetur.“ Et c. 3: „Si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate causarum nostra, quid observari debeat, sollicitudo constituat.“ Hinc Leonis legati ad concilium calcedonense in sententia damnationis contra Dioscorum prolata dixerunt: „Illis quidem sedes apostolica veniam tribuit, quia contra votum gessisse, quae peracta sunt, approbantur.“ Consulantur quoque quae Coelestinus Cyrillo alex. praescribit (ep. 17. n. 4.) de iis, quos ille erga catholicam fidem suspectos habebat. Praetermissis vero iis, quae Simplicius pontifex laetabundus Acacio constantinopolitano episcopo refert (ep. 11) de adimpletis a Timotheo alexandrino conditionibus praescriptis pro impetranda venia et sedis apostolicae communione, sufficiat provocasse ad tot Gelasii epistolas [1]), quibus Orientis episcopis

[1]) In epistola seu tractatu contra Acacii propu-

conditiones praescribit adimplendas pro impetranda venia ob schisma acacianum et restituenda communione: quas cum nonnisi sub Hormisda[1]) adimplessent, nonnisi ab hoc pontifice veniam impetrarunt et pacem.

11. Hinc 6) videmus illos, quorum fides in suspicionem adducebatur, sollicitos fuisse, ut se purgarent apud sedem illam, quae ideo, ut ait Bonifacius ep. 14. ad episcopos Thessaliae n. 4, principatum tenet, ut querelas omnium licentes (*forte* gliscentes) acceptet. Ita Origenes teste Eusebio[2]) „ad Fabianum romanae urbis epi-

---

gnatores, quam alii Felici III. ejus praecessori tribuunt, haec quae multorum instar sunt, scribit: „Qui tamen alexandrinus antistes (Petrus Mongus) etiamsi pravitate damnata eum (Acacium) recipiendum esse judicaret, non prius hoc faceret, quam ad sedem apostolicam retulisset. Docent hoc catholici gesta Timothei (episcopi alex.) aliorumque exempla multorum, qui acceptis libellis haereticorum, in quibus veterem se damnare profitentur errorem, non prius receptionem eorum communionemque confirmant, quam ad hanc sedem satisfacientium gesta dirigerent, atque hinc poscerent, sicut factum est, debere firmari." Mig. 58, 947.

[1]) Cf. inprimis hujus ep. 9. ad Joan. nicopol. cum regula fidei et indiculo subjectis.

[2]) Hist. eccl. l. 6. c. 36. C. vero 14. refert Origenem sub Zephyrino Romam esse profectum ad in-

scopum et ad complures alios ecclesiarum antistites de recta fidei suae ratione epistolas scripsit (περὶ τῆς κατ᾽ ἀυτὸν ὀρθοδοξίας)," quae significantius ita expressit Hieronymus [1]: „Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum romanae urbis episcopum, poenitentiam agit, cur talia scripserit, et causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit." Majoris tamen momenti est Dionysii alexandrini apud sedem apostolicam purgatio, cujus luculentus testis est Athanasius [2]), nam „cum Dionysius episcopus . . . contra Sabellii haeresim ad Ammonium et Euphranorem studio religionis permotus scripsisset, quidam ex Ecclesia fratres sanae quidem doctrinae homines, non sciscitati tamen eum, qua de causa ita scripsisset, Romam se contulere illumque apud cognominem Dionysium romanum episcopum accusarunt. Quibus ille auditis . . . misit quoque ad Dionysium literas, ut indicaret, qua de re accusatus ab illis fuisset. Ille vero quam primum sui

---

visendam τὴν ἀρχαιοτάτην (utique non aetate sed auctoritate) ῥωμαίων ἐκκλησίαν.

[1]) Epist. 84. al. 64. ad Pamachium et Oeanum, n. 10.

[2]) De sent. Dionysii n. 13. Cf. quoque de decr. nic. syn. n. 25; de synodis n. 43.

purgandi causa libros edidit, quos inscripsit, „*Elenchus* et *Apologia*". Fidei suae rationem reddidit apud Julium Marcellus ancyranus. „Cum nonnulli ex iis, ita ille in sua ep. n. 1, qui quod recte non crederent, antea condemnati sunt quique a me in nicaena synodo convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, me nec recte neque secundum Ecclesiae doctrinam sentire, crimen suum in me nitentes transferre: propterea necessario mihi Romam veniendum et te commonendum putavi, quo eos, qui contra me scripserunt accerseres: ut cum advenissent, de duobus a me convincerentur etc." Ita apud eundem pontificem purgare se nisi sunt Valens et Ursacius[1]); necnon Vitalis presbyter antiochenus apud Damasum[2]); Rufinus aquilejensis apologia missa ad Anastasium; Victricius rotomagensis ob scelus sibi imputatum apud Innocentium I.[3]); Bachiarius monachus oblato pontifici Urbis

---

1) In ep. Julii 4.

2) Cf. Greg. Nazianzenum ep. 102. ad Cledonium 2.

3) Cf. Paulinum nolanum ep. 37. Ex ep. 18. Innocentii discimus fuisse etiam qui romani pontificis literas fingerent, quo a judicibus, qui illos damnaverant, absolverentur. Hoc enim in cit. ep. ad Macedoniae episcopos refert Innocentius.

adversum querulos et infamatores fidei libello[1]), in quo illum ita alloquitur: „Non moremur fidei nostrae regulam beatitudini tuae, qui artifex es ipsius aedificii, demonstrare.“

12. Imo 7) ipsos haereticos admodum sollicitos videmus retinendae vel recuperandae communionis cum sede apostolica „a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage[3]).“ Romam confugit Marcion teste Epiphanio[4]); confugerunt montanistae, qui hypocrisi sua literas a pontifice extorsisse videntur pacificas, quas tamen Praxea suadente revocavit[5]); confu-

---

1) Gennadius de script. eccles. c. 24. Exstat hic fidei libellus in Patrol. Migne 20, 1019 ss.

2) C. 2. Ibidem cathedram Petri *sedem fidei* appellat.

3) Bonifacius I. ep. 14. ad ep. Thessaliae n. 1. Hanc veritatem pluribus illustravimus annot. ad op. 6. p. 37 ss. et in praef. op. 10. n. 12 s.

4) Haer. 42. n. 2.

5) Refert id Tertullianus ita scribens l. c. Praxeam c. 1: „Nam idem (Praxeas) hunc episcopum romanum (*probabiliter* Victorem) agnoscentem jam prophetias Montani, Priscae, Maximillae *et ex ea agnitione pacem Ecclesiae Asiae et Phrygiae inferentem* falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praecessorum ejus auctoritates defendendo coegit et literas pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare.“

gerunt socii in schismate Felicissimi, de quibus ita ad Cornelium scribit Cyprianus (ep. 55. n. 14): „Post ista (scelera, quae recensuerat) adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis literas ferre, nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante (Rom. 1, 8) laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.“ De donatistis legantur, quae refert Optatus milevitanus de schismate donatistarum l. 2. c. 4 (opusc. t. 10). De arianis[1]) satis erit in mentem revocare, quae egerint sive fraudibus sive aperta vi, ut Liberium in suam traherent sententiam[2]). Romam confugisse Priscillianum cum suis testatur Sulpicius Severus[3]); de Pelagio et Coelestio testes habemus ip-

[1]) Cf. etiam quae testatur Hieronymus ep. 15. ad Damasum (opusc. t. 11. ep. 2.) n. 5, qui ep. seq. (ib.) n. 2. Vitalis, Apollinaris discipuli solicitudinem testatur in jactanda sedis romanae communione.

[2]) Histor. s. l. 2. n. 46.

[3]) Cf. quoque Ammianum Marcellinum, qui de Constantio urgente Liberium, ut in damnationem Athanasii consentiret, scribit (15, 7): „Id enim licet impletum sciret, tamen auctoritate quoque qua potioris aeternae urbis episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti.“ Cf. Athanasium hist. arian. ad

sorum libellos, quos romano pontifici obtulere; et Coelestius [1]) quidem in suo profitetur: „Ea quae de prophetarum et apostolorum fonte suscepimus, vestri apostolatus offerimus probanda esse judicio, ut si forte ut hominibus quispiam ignorantiae error obrepsit, vestra sententia corrigatur.“ Nestorium quoque sollicitum fuisse de communione cum sede apostolica probant ejus ad Coelestinum epistolae. Ad rem sunt asseclarum Nestorii literae ad Xistum III. pontificem, quem in subscriptione sanctissimum compellant *patrem*, licent essent episcopi. In illis enim Eutherius thyanensis et Helladius tharsensis nomine episcoporum Thessaliae et Thraciae rogant Xystum, ut eis sucurrat contra Cyrillum, cum ipsorum sit, „ad eum clamare, qui a Deo productus est gubernator ... tuae autem gratiae ... emendationem imponere cum tota constantia et Deo dilecta fiducia.“ „Rogamus vero, scribunt n. 12. et sanctis tuae religiositatis pedibus provolvimur, ut manum porrigas salutarem et auferas mundi naufragium, omniumque horum

---

mon. n. 35, 37; Theodoretum l. 2. c. 16 H. E., ep. 4. Liberii n. 2, 4. etc.

[1]) De Coelestii ad sedem apostolicam appellatione cf. Paulinum in lib. adv. Coelestium Zosimo oblato n. 4; Zosimum infra ep. 14. al. 12. n. 1. et Nat. Alexander diss. 2. in sec. 5.

inquisitionem jubeas fieri et his illicitis coelestem superduci correctionem, ut revocentur quidem sancti pastores etc. [1]." Eutyches ad Leonem apellans profitetur se omnibus modis secuturum, quae pontifex probasset[2]). Posteriorum haereticorum gesta fraudesque praetermittimus.

13. Vel ipsi 8) imperatores non solum solemnibus formulis in publicis instrumentis hunc sedis romanae primatum agnovere, verum factis etiam, cum consensus in fide et communione cum hac cathedra norma ipsis esset secundum quam dijudicarent, quinam catholici essent, quinam a vera Ecclesia extorres, ut alia jam ostendimus occasione [3]), quibus speciminis gratia adde Va-

---

[1]) Ep. 4. inter Xysti III. ep. Ad rem autem advertit Constantius in annot.: „Hic notatu digna videtur ea in tota Nestorii causa festinatio, qua Nestorius ipse, Cyrillus, Joannes (antiochenus) ac socii, Eutherius ac reliqui episcopi cum iis consentientes h. e. *haeretici*, *catholici*, *schismatici* seu a schismate discedentes seu in eodem pertinaces, apostolicae sedis praesulem antevenire ac sibi conciliare contenderunt. Simile quidpiam in Joannis Chrysostomi causa contigisse ex iis, quae in notitia epistolarum non exstantium Innocentii collegimus, probatur."

[2]) Ita ipse ep. 21. inter ep. Leonis. Cf. observationes Ballerinianorum in diss. 7. Quesnelli.

[3]) Opusc. t. 10. praefat. n. 15. cf. Schrader, de unit. rom. 2, 131 ss.

lentiniani ad Theodosium literas, quibus rogat[1]), quatenus beatissimus romanae urbis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit[2]), locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare . . . Hac enim gratia secundum solemnitatem conciliorum (gr. *τούτων γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος*) et constantinopolitanus episcopus (Flavianus) eum per libellos appellavit propter contentionem, quae est de fide[3])." Neque fugit haec exsors episcopi auctoritas imperatores gentiles, ut colligitur ex Valeriani judicio, de quo l. c. egimus, atque ex timore

---

[1]) Inter ep. s. Leonis 55. Similia habent Galla Placidia ejus uxor ib. ep. 56. et Marcianus imperator ib ep. 73.

[2]) *Contulit* antiquitas hunc principatum non quadam cessione juris, non conniventia quadem spontanea atque ethice libera, sed contulit obsequendo voluntati atque institutioni divinae, quae super Petrum ejusque in cathedra successores Ecclesiam aedificavit.

[3]) Hisce addi potest Valentiniani constitutio seu edictum occasione judicii Leonis in causa Celidonii et Hilarii promulgatum, in quo inter alia legimus: „Cum sedis apostolicae primatum S. Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid praeter auctoritatem sedis istius illicitum praesumptio attentare nitatur. Tunc enim demum ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas etc."

Decii, qui teste Cypriano[1]) audiebat multo patientius et tolerabilius, levari adversus se aemulum principem (Julium Valentem), quam constitui Romae Dei sacerdotem."

14. Ad haec 9) romanae sedis primatus effulget *ex haeresum damnatione*, in qua primae potioresque partes obtigerunt illius praesulibus. Ita Victoris nutu[2]) plura habita fuere concilia, in quibus quaestio tractata fuit de tempore celebrandi paschatis; ipse quatuordecimanorum errorem damnavit ejusque sententiam postmodum amplexa est synodus nicaena: ipse Theodotum coriarium a communione removit [3]); ita in damnatione rebaptizantium praecelluit [4]) atque prae-

---

[1]) Ep. 52. ad Anton. n. 9. Pamelius cum aliis legit: „quam constitui Romae *aemulum* sacerdotem."

[2]) Id diserte testatur apud Eusebium 5, 24. Polycrates de synodo a se celebrata. „Possem etiam, scribit ipse ad Victorem, episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, *quos cum a me convocari petiissetis, convocavi.*" Hinc conjicere licebit idem de aliis synodis, tum quia tot synodi de eodem argumento eodemque tempore celebratae fuere, tum quia omnes literae ad eundem praesulem dederunt. Cf. Eusebium l. 5. c. 23 s. et Coustantium in diss. de controversia circa Pascha.

[3]) Ita antiquus scriptor testatur apud Eusebium 5, 28.

[4]) Cf. Vincentius lirin. commonit. c. 6. opusc. t. 9. p. 161.

valuit Stephanus. Montanistarum rigorem, imo potius crudelitatem, qua gravium criminum reis veniam omnem negarunt, ecclesia romana reprobavit. Huc haud immerito referri potest sententia probabiliter Zephyrini (202—219), de qua non citra ironiam ita scribit Tertullianus (c. Praxeam c. 1): „Audio edictum esse propositum et quidem peremptorium; pontifex scil. maximus quod est episcopus episcoporum edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto." Cathedra Petri „nefandi erroris (pelagiani) capita mucrone apostolico percussit [1])" et „ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium (scil. episcoporum per orbem) armavit [2])." Hinc Augustinus receptis Innocentii ad concilia carthaginense et milevitanum rescriptis dicere potuit serm. 131. n. 10. al. de verb. Ap. 2): „Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam finia-

---

[1]) Ita de Innocentio Prosper adv. collat. c. 21.

[2]) Ibid. Hinc etiam Prosper scribit: „Sanctissima b. Petri sedes ad universum orbem Zosimi ore loquitur." Qui vero subscriptionem detrectarunt, sede sua privati sunt, „ex quibus plurimi, teste Mario Mercatore in commonit. 2., resipiscentes et a praedicto errore correcti regressi sunt supplices ad sedem apostolicam et suscepti suas sedes receperunt."

tur aliquando error." Nec contenti fuerunt romani praesules pelagianorum errores damnare, sed populos iis jam infectos haeresis veneno liberare satagebant. Hinc cum Coelestinus audisset Agricolam quendam Hiberniae ecclesias perversum hoc dogma docere „actione Palladii diaconi Germanum antisiodorensem episcopum vice sua mittit, ut deturbatis haereticis britannos ad catholicam fidem dirigat[1])." Apollinaristarum haeresim quamvis in Oriente natam Damasus in primis damnavit edita confessione catholica[2]). Multum etiam resplendet romanae sedis primatus in damnatione haeresis nestorianae et eutychianae. Et quod spectat haeresim nestorianam, sufficiet expendisse literas, quas sequenti tomulo exhibebimus, ut liqueat primas partes in hac damnatione ei esse tribuendas, atque synodum ephesinam nonnisi exsecutioni mandasse Coelestini judicium. Sane Cyrillus non audet Nestorium damnare, antequam totam causam ad sedem apostolicam retulerit[3]); Coelestinus damnationis

---

[1]) Prosper in chron. ad a. 432. Cf. etiam ep. 21. Coelestini (8.) infra et curas s. Leonis in ep. 1. al. 6. ad episc. Aquil. Vinc. Lirinensem commonit. c. 32. opusc. t. 9.

[2]) Cf. infra ep. Damasi al. 5. et lib. synod. ap. Labbeum 2, 899.

[3]) Ep. 2. al. 8. Hinc Arnobius l. 2. de confl.

sententiam profert atque ubique promulgat[1]: ad synodum interim convocatam legatos mittit, sed qui tantum curent, ut sententia lata executioni mandetur[2]: concilium sententiam latam approbat[3] ita scribens ad imperatorem: „Hujus rei causa Nestorium quidem a sacerdotio et pestilente doctrina cessare jussimus canonicam in eum sententiam proferentes et collaudantes ss. episcopum magnae Romae Coelestinum[4]), qui ante nostram sententiam haeretica Nestorii dogmata damnavit, et ante nos sententiam in ipsum tulit

---

cum Serap. hac de causa refert: „S. Cyrillus . . . ad s. Coelestinum apostolicae recordationis misit dicens: ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum."

[1]) Ep. 4. al. 11. n. 4 s. et ep. seqq. Haec sententia *Domini sui*, ut loquitur Joannes antiochenus, huic ipsi visa est justa, adeo ut hortaretur Nestorium ad retractationem, quamvis terminus praefinitus valde angustus esset. (Act. conc. ephes. p. 1. c. 15).

[2]) Ep. 17. Cf. verba infra praef. n. 20.

[3]) In hoc concilio Cyrillum Coelestini vices egisse pluribus testimoniis probat Thomassini diss. 10. in conc. ac fatetur Balsamon in Photii Nomocan. tit. 8.

[4]) Ad hunc vero ita scribit Concilium n. 1: „Mos est vobis ita magnis exsistentibus in omnibus bene probari, et omnia studia ecclesiarum vestra propria facere. Quoniam autem opportebat omnia ad scientiam tuae sanctitatis referri quae subsecuta sunt, scribimus necessario etc."

prospiciens securitati ecclesiarum et piae sanctaeque fidei etc.“ Damnato Nestorio sollicitus fuit Coelestinus, ut quam procul amoveretur atque orthodoxus episcopus in ejus locum subrogaretur. Hinc de eo scribit Prosper c. collat. c. 21. n. 58: „Per hunc virum etiam orientales ecclesiae gemina peste purgatae sunt, quando Cyrillo alexandrinae urbis antistiti gloriosissimo fidei catholicae defensori ad exsecrandam Nestorii impietatem apostolico gladio est auxiliatus; quo etiam pelagiani, dum cognatis confoederarentur erroribus, iterum prosternerentur.“

14. Denique 10) ipsa romanorum pontificum agendi ratione, prout ea colligitur ex eorundem literis a Clemente usque ad Leonem (nam de posterioribus nemo dubitat), manifestum est, eos se gessisse prout decet illos, quibus vineae dominicae custodia fuit concredita [1]), quibus incumbit sollicitudo omnium ecclesiarum, quique constituti sunt a Domino super omnem familiam totiusque dominici ovilis pastores. Hoc testantur

[1]) Ita Conc. Ephes. ad Coelest. Haec cura et custodia elucet jam ex s. Clementis ad Corinthios epistola. Neque enim horum causa delata fuit ad s. Joannem, qui adhuc tum vivebat; neque hic ad illos scripsit, sed Petri cathedrae heres, i. e. Clemens. cf. Rothensee, der Primat des Papstes in allen christl. Jahrh. p. V. 1. 28 ss.

quidem omnia hucusque allata atque expensa: sed his nonnulla alia addantur. Tanta erat a) sollicitudo omnium ecclesiarum, qua tenebantur romani praesules, ut licet tot persecutionibus obnoxii praecipuam quoque gererent curam pauperum aliarum ecclesiarum. Hanc jam extollit seculo 2. Dionysius Corinthiorum episcopus scribens ad ecclesiam romanam [1]: „Haec vobis ab *exordio consuetudo* est, ut fratres *omnes* vario beneficiorum genere afficiatis et ecclesiis *quam plurimis*, quae in quibusque urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis detinentur, necessaria suppeditatis, per haec quae ab initio transmittere consuevistis munera, romanorum morem institutumque a majoribus acceptum romani retinentes etc.“ Hanc romanae ecclesiae beneficentiam celebrat etiam Basilius ep. 220. ad Damasum n. 2, 3.

15. Curam gesserunt b) non solum universalis Ecclesiae, non solum ecclesiarum particularium vel episcorum injuste sede pulsorum, ut vidimus, sed etiam aliorum, qui injuste vexabantur. Vix audierat Innocentius I. de molestiis s. Hieronymo apud Bethlehem per pelagianos il-

[1]) Apud Eusebium, hist. eccles. 4, 22.

latis, ita ad eum scribit (ep. 34): „Excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicae ad omne comprimendum nefas festinavimus, sed in quem insurgeremus nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum .... Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut judices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime. Tamen episcopo fratri meo Joanni (hierosolymitano) scripsi, ut circumspectius agat, ne circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat.“ Et revera ad hunc literas dedit *minaces* (35.) praecipiens, ut haec deinceps corrigeret aut retunderet „ne jus ecclesiasticum de labefactatis causas (i. e. rationem) eum, qui non defenderit, praestare compellat.“ Cum tumultus orti essent inter monachos Palaestinae, illico s. Leo ad Julianum coensem, quem constituerat suum in Oriente veluti vicarium, scripsit (ep. 113. al. 86.) c. 3: „Cupio me super his plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue studeatur etc.“

16. Ex hac sollicitudine c) profectum est et munus indicendi universae Ecclesiae tempus celebrandi festa paschalia, ut ubique locorum tanta solemnitas eodem ageretur die. Ita enim scribit synodus arelatensis (a. 314.) ad Silvestrum

rationem reddens eorum, quae statuerat: „Primo in loco de observatione paschae dominicae, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur et *juxta consuetudinem* literas ad omnes tu dirigas.“ Et s. Leo [1]): „Hoc divina institutio et paterna traditio ad nostram sollicitudinem voluit pertinere.“

17. Pro hac d) universalis Ecclesiae cura obstrictos se reputabant romani praesules invigilare diligentissime, ne canones statutaque conciliorum et antiquitatis violarentur. Quot sunt epistolae praesertim a Siricii tempore, tot hujus obligationis argumenta. Pro temporum vero adjunctis canonum legumque ecclesiasticarum rigorem molliunt [2]), sensum explicant, vel etiam novas condunt. Poenas minantur contumacibus vel negligentibus episcopis [3]); aliis vero privilegia con-

---

[1]) Ep. 96. al. 76; cf. ep. 121. al. 94; 122. al. 95: 138. al. 109; Innoc. ep. 14. ad Aurelium. Huic sollicitudini inniti quoque videtur praeceptum ab angelo Hermae l. cui titulus Pastor auctori l. 1. vis. 2. n. 4. datum, ut librum hunc Clementi romano episcopo traderet ad alias mittendum civitates: „illi enim permissum est.“

[2]) Pro ejusmodi dispensatione recurrerunt episcopi africani ad Anastasium, ut patet ex eorum ad illum ep. et ex cap. 68. cod. can. eccl. afric.

[3]) Cf. praesertim epistolas Siricii (infra), Zosimi ep. 1, 5, 6, 7, 9, 10, 11, 16, quem propterea Casau-

cedunt, ex gr. Siricius, qui cum Anastasio tantum detulit Anysio thessalonicensi „ut ei omnia quae in illis partibus agerentur, traderet cognoscenda[1]),“ simulque voluit, ut nullus in Illyrico episcopus sine ipsius consensu ordinaretur[2]); Zosimus vero constituit, ut nullus e Gallia Romam veniret, quin formatas ab arelatensi metropolitano acciperet. Hinc universis per Gallias episcopis scribit[3]): „Quisquis igitur, fratres carissimi, praetermissa praedicta formata sive episcopus, sive diaconus, aut deinceps inferiori gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino recipi non posse. Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat, id quod statuimus omnimodis esse servandum. Si quis autem salubriter constituta temerare tentaverit, sponte sua se a nostra communione noverit discretum.“

18. Sui juris suique muneris pariter e) esse censebant episcoporum etiam primarum sedium approbare vel reprobare electiones. Ita Damasus literis ad Acholium thessalonicensem et alios Macedoniae episcopos datis (8, 9.) Maximi

bonus Exerc. 15. in Baron. *praecocem Hildebrandum* appellat.

1) Teste Innocentio ep. 1. n. 1.

2) Siricius ep. 4.

3) Epist. 1.

cynici ordinationem in episcopum constantinop. damnat illosque hortatur, ut in synodo proxime Constantinopoli celebranda dignus huic praeficiatur episcopus. Quanti fecerit vel Theodosius imperator hanc romani pontificis approbationem, liquet ex Nectarii ordinatione[1]). Perigenis in Corinthiorum episcopum electionem refragantibus pluribus Bonifacius ratam habuit[2]). Defuncto s. Flaviano episcopo constantinop. in ejus locum ordinatur Anatolius. Hinc Theodosius ad Leonem scribit rogans, ut pontifex in illius consentiat electionem[3]). „Agat, respondet Leo[4]), clementiae vestrae devotissima fides, ut quam primum ad nos constantinopolitani episcopi, qualia debent, scripta perveniant, aperte scil. et dilucide protestantia, quod si quis de incarnatione Verbi aliquid aliud credat aut asserat, quam catholicorum omnium et mea professio protestatur[5]), hunc a sua commu-

---

[1]) Cf. infra ep. 5. al. 15. Bonifacii n. 6. cum nota subjecta: plura enim hujus approbationis reperies exempla.

[2]) Epistolas huc spectantes infra habes 1, 2, 5. al. 4, 5, 15.

[3]) Ep. 68. inter s. Leonis ep.

[4]) Ep. 69. al. 52. Cf. ep. 70, 71, 104 etc.

[5]) Habuit ergo s. Leo celeberrimam suam ad Flavianum epistolam ante concilii calcedonensis confirmationem pro *regula fidei catholicae*, censuit ergo illam ab omni immunem errore.

nione secernat, ut ei fraternam in Christo charitatem merito possimus impendere." Tantumque autem tribuit suae approbationi, ut ad eundem scribens imperatorem dicere potuerit (ep. 104. al. 88. c. 3): „Satis sit praedicto (Anatolio), quod vestrae pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantae urbis obtinuit." Electo Proterio in episcopum alexandrinum haec Juliano coensi refert idem pontifex (ep. 127. al. 100): „Fratrem Proterium alexandrinae urbis episcopum gratulor plenas satisfactionis de fide sua ad nos literas direxisse, et manifestius quid teneat indicasse, cui me dignam gratiam necesse est pro fidei ipsius sinceritate praestare, ut honorem in nullo suae perdat Ecclesiae, sed sedis suae privilegia paternae antiquitatis exemplo juxta canonum illibata jura possideat [1])."

19. Romani pontifices f) de episcopis judicant reosque damnant, ut jam plurimis exemplis vidimus, quibus adde Zosimi judicium de Urso et Tuentio illicite ordinatis [2]), de Herote et

[1]) Proterius fuit successor Dioscori, qui solemniter damnatus et depositus fuit a s. Leone et concilio calcedonensi. Cf. etiam ep. Leonis 129. al. 103. Praetermittimus posteriora exempla, cf. ex. gr. ep. 14—17. Simplicii, in quibus de confirmatione Calendionis antiocheni ep. et Joannis ep. alexandrini agitur.

[2]) Ep. 4. universis episcopis Africae, Galliae et

Lazaro [1]). Judicium de Maximo valentinae civitatis episcopo diversis criminibus accusato relinquit quidem Bonifacius Galliae synodo, hac tamen clausula: „Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur[2])." Coelestini de Nestorio[3]) judicium infra habes (ep. 4. n. 4.), sicut et de Daniele deque massiliensium episcopo (ep. 1. al. 4. n. 9, 10); Leonis de Dioscoro alexandrino[4]) judicium habetur in actis concilii cal-

Hispaniae inscripta. Cf. etiam ep. 3. (synodicam) Damasi in qua minatur episcopos dissentientes a fide nicaena a sua communione segregandos et nomine etiam episcopi privandos.

¹) Infra ep. 1. al. 2. n. 4.

²) Ep. 3. n. 4.

³) Ipsum concilium ephes. in sua ep. seu relatione ad Coelestinum (inter hujus ep. 20) n. 4. refert, se Joannem ep. Antiochenum cum sociis communione segregasse, permittere vero Coelestino judicium, utrum deponendi sint.

⁴) Hujus crimina recensentur in ep. conc. calced. ad Leonem, ubi inter alia legimus: „Et post haec omnia et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam i. e. contra tuam quoque diximus sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas." Cf. quoque Leonis ad Theodoretum ep. 120. al. 93. c. 3. In ep. 10. ad episcopos per prov.

cedonensis, in quo cum primae interesset sessioni Dioscorus, declarat Leonis legatus Paschasinus: „BB. atque apostolici viri papae Urbis Romae, qui est caput omnium ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, in quibus praecipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc ergo nos observare necesse est. Si ergo praecipiat vestra magnificentia, aut ille egrediatur aut nos eximus.“ Hanc deinde in illum pronunciant sententiam: „Sanctissimus ac beatissimus papa, caput universalis Ecclesiae, Leo per nos vicarios suos sancta synodo consentiens Petri ap. praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamentum et petra fidei, coelestis regni janitor nuncupatur, episcopali dignitate eum denudavit, et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.“ Quamvis vero mox subjiciat: „Superest ut congregata venerabilis synodus canonicam contra praedictum Dioscorum proferat justitia suadente sententiam,“ non sequitur verba priora continere tantum Leonis

---

vienn. c. 1. scribit: „Nobiscum vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotibus *innumeris relationibus* esse consultam, et per diversarum, *quemadmodum vetus consuetudo poscebat*, appellationem causarum aut *retractata* aut *confirmata fuisse judicia.*“

suffragium, non vero judicium authenticum, ut patet ex omnibus gestis, ex ep. 103. Leonis ad episcopos Galliae; ex judicio plane consimili Coelestini de Nestorio.

20. Romani episcopi g) pro sua capitis Ecclesiae praerogativa concilia vel generalia cassant aut approbant. Plura exempla affert Gelasius [1]). Id sat clare enunciat Julius in sua ad eusebianos epistola [2]); synodum ariminensem cassavit Liberius teste Siricio infra ep. 1. al 1. n. 2. [3]). Coelestinus ad concilium ephesinum [4]) legatos quidem mittit, sed cum hac instructione (ep. 17): „Ut interesse conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen." Luculentum vero hujus juris et potestatis argumentum calcedonense praebet concilium. Unanimes sanxerant patres can. 28. quo sedi constantinopolitanae primus post sedem romanam locus tribuitur. Verum non obstante tot episcoporum (c. 600) consensione existimarunt ipsi,

---

1) In annot. ad n. 8. supra.

2) Infra n. 22.

3) Cf. quoque Damasum ep. 3. n. 1.

4) Hoc ipsum vero concilium in sua ad Coelestinum relatione n. 1. candide fatetur: „Quoniam autem oportebat omnia ad scientiam tuae sanctitatis referri, quae subsecuta sunt, scribimus necessario etc."

vim huic canoni non inesse, nisi a Leone confirmaretur. Hinc confirmationem enixe petit ipsum concilium. „Rogamus igitur, ajunt concilii patres (ep. 98), et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quôd decet, adimpleat.“ Et iterum: „Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam.“ Petiit et Marcianus imperator [1]); imo petiit et Anatolius, qui se ab ambitionis vitio quasi purgans apud Leonem canonis condendi causam in clerum rejecit constantinopolitanum addens (ep. 101): „Gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae beatitudinis fuit reservata.“ Verum Leo confirmationem negavit, canonemque rejecit [2]). Hinc Gelasius [3]): „Totum in sedis

---

[1]) Quanti fecerit Marcianus s. Leonis confirmationem colligitur et ex ep. Leonis 116. al. 90. ad Pulcheriam n. 2: „Quod vero piissimus imperator ad omnes episcopos, qui calcedonensi synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus quae illic sunt definita firmarem, libenter implevi, ne fallax cujuspiam simulatio sententiam meam haberi vellet incertam.“

[2]) Verbis gravissimis utitur ep. ad Marcianum 104. al. 88., ad Pulcheriam ep. 105. al 79. ubi n. 3. scribit: „Consensiones episcoporum ss. canonum apud

[3]) De anathematis vinculo cf. Mig. 59. 102.

apostolicae positum est potestate. Ita quod firmavit in synodo (calcedonensi) sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit habere non potuit firmitatem: et sola rescindit, quod praeter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum." Et Gregorius M.[1]): „Cuncta acta illius synodi (relate ad hunc c.) sede contradicente apostolica soluta sunt." Hinc etiam Nicolaus I. ad Photium[2]): Sedis romanae „auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt."

21. Cum vero h) omnium ecclesiarum sollicitudo onus sit gravissimum, cui pene impares sunt fragilis hominis humeri, mirum esse non debet, si romani pontifices vicarios constituerint variis in regionibus, qui negotiorum partem expedirent, et de potioribus referrent. Ita romani

Nicaeam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, et per auctoritatem b. Petri ap. generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis causis his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium sacerdotum per 318 antistites Spiritus s. instituit, ita ut etiamsi multo plures aliud quam illi statuere decernant, in nulla reverentia sit habendum quidquid fuerit a praedictorum constitutione diversum." Cf. etiam ep. 106, 110, 111.

[1]) L. 5. ep. 2. al. l. 4. ep. 34.

[2]) Habentur haec in act. IV. Conc. Constantinop. IV. ap. Hard. 5, 814.

pontifices continenti serie episcopum thessalonicensem suum in illis regionibus constituebant vicarium[1]), ad quem ex gr. Innocentius (ep. 13) scribit: „Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas ecclesias salvo eorum primatu curam, et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus etc."; ita Zosimus Augustino legationem injunxit[2]), unde cum aliis episcopis literis sedis apostolicae compulsus fuit[3]) ob necessitatem ecclesiasticam in Mauritaniam venire. De Juliano episcopo coensi ita scribit Leo ad Marcianum[4]): „De fidei ejus sinceritate confi-

---

[1]) Cf. Damasi ep. 8. ad Acholium thess. ep. Siricii ep. 4, Innocentii ep. 1. ad Anysium; Bonifacii I. ep. 4, 5, 15. (infra 1, 2, 5.); Coelestini ep. 3.; Xysti III. ep. 7, 8, 10; Leonis I. ep. 5, 6, 14 etc.

[2]) Aug. ep. 190, 193.

[3]) Possidius in vita s. Aug. c. 14. opusc. t. 8.

[4]) Ep. 111. al. 84. n. 3. Hic Juliani coensis in Oriente vicariatus ex pluribus aliis Leonis ep. colligitur ut 112, 113 etc. Hormisdas ep. 24. Joanni tarraconensi suas per Hispaniam vices committit; ep. 26. Sallustio per Boeticam et Lusitaniam; ep. 80. Epiphanio episcopo constantinopolitano ad recipiendos schismaticos.

dens vicem ipsi meam contra temporis nostri haereticos delegavi, atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, ut a vestro comitatu non abesset, exegi: cujus suggestiones pro concordia catholicae unitatis tamquam meas audire dignemini.“ Ita vero aliis partem suae committunt sollicitudinis, ut causas graviores sibi reservent, ut patet ex verbis Innocentii supra allatis[1]), Bonifacii supra n. 19.; Zosimi, qui ep. 1. ad Galliae episcopos praesuli arelatensi plura concedit privilegia, atque inter alia statuit: „Ad cujus notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censemus, nisi magnitudo causae etiam nostrum requirat examen.“

22. Cum ergo i) tanta sit romanorum praesulum in universam ecclesiam potestas atque auctoritas, merito exigere potuerunt, ut eorum non retractetur judicium, quo de privilegio lege Zosimi epistolam 4. al. 12. n. 1. cum annotatione subjecta.

23. Ex his omnibus patet quanta fuerit romanorum pontificum in universam Ecclesiam, non solum Occidentis sed et Orientis[2]) auctori-

---

[1]) Cf. etiam infra hujus ep. 1. al. 2. n. 5, 6: ep. 10. al. 29. n. 1; 11. al. 30. n. 2. Similia habentur in ep. 3. Coelestini etc.

[2]) Tot autem attulimus facta et testimonia ex

tas, tanta, ut eam vix magnificentioribus verbis posteriores pontifices potuerint describere, quam illam nobis proponunt jam Siricius, Innocentius, Zosimus et Bonifacius, cujus in primis legenda verba, quae infra habes ep. 4. al. 14. n. 1.

24. Verum ad omnem difficultatum umbram abigendam juverit quaedam statuisse principia, quibus attente ponderatis plura elucidabuntur.

Et *primo* quidem sicut in ordine naturali omne corpus organicum et vivum, sicut in ordine sociali societas quaelibet, in ordine logico quodlibet veritatum systema seu disciplina quaevis, in ordine supernaturali ipsa justificatio, in ordine revelationis ipsa veritatis revelatae intelligentia ac generatim ipsa Ecclesia habet sua stadia explicationis et consummationis, ita et primatus

---

primariis ecclesiis, ut alexandrina, antiochena, constantinopolitana, ut nullus pateat locus quorundam effugio, factis et testimoniis, quae afferri solent, non probari primatum in *universam* Ecclesiam, sed tantum nescio quae jura metropolitanis vel patriarchis propria, quibus romani episcopi praediti conceduntur, cum essent patriarchae ecclesiae occidentalis. Sed facta allata probant *nullum esse fere jus alicujus momenti, quod romani episcopi in occidentali exercuerunt ecclesia, quod non etiam pro temporum adjunctis, universa Ecclesia suffragante, in Ecclesia orientali exercuerint.*

institutum temporum lapsu magis magisque semper explicari poterit. Hinc mirum esse non debet, si a primis Ecclesiae temporibus non adeo splendida primatus argumenta reperiantur ut posterioribus aetatibus: si b) primatus splendor temporis successu creverit, sicut crevit etiam veritatis revelatae splendor et intelligentia: si c) romani pontifices temporum cursu nonnulla exercuerint jura *explicite*, quae *implicite* ac veluti in semine latebant in primatu[1]).

25. *Secundo*, sicut reges potestatis suae plenitudinem non exserunt necessitate nulla urgente, cum omnia ordinate et pacate procedunt, ita necesse non erit, ut romani episcopi, quo Ec-

---

[1]) Hoc passim inculcant theologi catholici ut Hergenroether, Antijanus § 7. p. 70 ss., auctor l. Petra romana p. 2. Diagn. 2; Wieser die päpstl. Unfehlbarkeit § 8; Philipps Kirchenrecht v. 5. § 201 s., etiam Döllinger quondam catholicus Kirche und Kirchen S. 31 ff. Ad rem de Maistre in l. Esprit générateur: „C' est une pitié de voir d' excellens esprits se tuer a prouver par *l'enfance* que *la virilité* est un abus, tandis qu' une institution quelconque, *adulte en naissant* est une absurdité au premier chef, une veritable contradiction logique. Si les ennemis éclairés et généreux de cette puissance (romani pontificis) examinent la question sous ce point de vue, je ne doute point que toutes les objections tirées de l'antiquité ne disparaissent à leurs yeux comme un léger brouillard."

clesiae primates haberi possint, cujusvis seculi anno vel anni mense quovis in orbis angulo omnem suam exseruerint auctoritatem; proinde immerito postularetur, ut tam continuum potestatis exercitium demonstretur. Sicut autem regia majestas et praerogativa in causis negotiisque gravioribus se prodit, ita videmus quoque romani episcopi primatum in causis Ecclesiae majoribus maxime effulsisse.

26. *Tertio*, sicut temerarii forent, qui reges antiquorum populorum regia caruisse auctoritate negarent, eo quod antiquitas de hujus potestatis exercitio persaepe sileat (idcirco enim silet, quia vel per se id intelligitur, vel quia monumenta, quibus illorum regum gesta consignata fuere, perierunt), ita immerito exigunt adversarii, ut veterum pontificum gesta in medium proferantur. Ex legitimorum successorum agendi ratione, quam universa probavit Ecclesia, jure colligimus praedecessorum agendi rationem vel saltem *agendi jus*. Ceterum plura antiquitatis monumenta periere; ex paucis vero quae supersunt, satis ut vidimus colligitur romanorum praesulum primatus.

27. *Quarto*, ordo supernaturalis externaque Ecclesiae facies plurimum, ut per se patet multisque exemplis ostendi posset, ab ordine pendet naturali, ut anima in suis functionibus a corporis

valetudine. Hinc ratio redditur, quare persecutionum, bellorum, turbarum etc. tempore minus resplendeat primatus, effulgeat vero magis tempore pacis sub imperatoribus piis (sicut ipsa Ecclesia, si externum spectes splendorem). Cumque modo maxime expeditum sit commercium sociale inter populos vel remotissimos, mirum quoque esse non debet, si primatus fastigium suum attigit, quod attinet ejus munus ad unitatem revocandi [1]) qui sunt undique pastores et oves.

27. Principes denique et nobiles, imo et plebs quandoque regi adversantur, contradicunt, resistunt, ad revocandas quoque leges impellunt. Nemo tamen exinde inferet, vel regem regio leges ferendi carere jure, vel subditos jure agere suo. Hinc aeque praeposterum erit ex eo, quod nonnunquam aliqui episcopi romano restiterint praesuli, inferre statim, vel hunc sibi aliquid praeter fas jusque usurpasse, vel illos jure egisse vel romani pontificis primatum penitus negasse. Nihil enim est adeo sanctum in Ecclesia, cui non se opposuerint aliqui: nunquam Ecclesia, quamdiu est militans, solis justis et sanctis constabit.

---

[1]) Hinc forte etiam repetendum, cum scil. prioribus Ecclesiae seculis adeo fuerit impeditum commercium inter varias regiones, quod majora fuerint patriarcharum et metropolitanorum jura atque privilegia.

29. Prolixius forte praefati sumus, quam tomuli angustiae ferunt, quam viri critici vel lectores forte nonnulli optarent, sed morem secuti sumus plerorumque editorum doctrinae fama spectatorum; utilitatem spectavimus theologiae studiosorum, quos non multum juvat plurima patrum scripta legisse, nisi haec lectio jugiter referatur ad stabilienda dogmata catholica: cum vero inter haec dogmata momentosum admodum sit illud de romani pontificis primatu nostra praesertim aetate, ipsa temporum adjuncta a nobis postularunt, ut edentes Ecclesiae praesulum supremorum atque primatum epistolas, illorum praerogativas ex his ipsis vindicaremus.

30. Sequimur autem in hac editione textum, quem exhibet optima Coustantii editio. Cum autem non omnium epistolarum idem sit momentum, potiores tantum selegimus, et quia inter has nonnullae graece sunt scriptae vel saltem nonnisi in hac lingua supersunt, noluimus illas omittere: quare autem illas *latine* redditas exhibeamus, jam alias diximus [1]).

---

[1]) Praef. ad opusc. t. 15. p. 4. in annot.

In sequentem epistolam monitum.

Clemens Pauli adjutor, cujus nomen in libro vitae[1]), primus est romanus episcopus, cujus ad nos pervenere literae. Duae illi tribuntur epistolae, quarum prima valde celebris apud veteres fuit. Hanc quippe laudant Irenaeus l. 3. c. 3, et apud Eusebium l. 5. c. 6; Clemens alex. strom. ll. 1, 4, 5, 6; Origenes de princ. l. 2. c. 3; in Joan. 1, 29; Hegesippus apud Eusebium l. 4. c. 22; Eusebius ipse H. E. l. 3. c. 16; scriptor qq. Justini nomine vulgatarum c. 74; Epiphanius haer. 27. n. 6; haer. 30. n. 15; Hieronymus de vir. illustr. c. 25; l. 14. in Is. 52, 13. et in Eph. 4, 1 etc. Imo publice eam fuisse lectam in ecclesiis testantur

---

[1]) Philip. 4, 3. Hunc autem esse eundem cum romano episcopo passim veteres tradunt.

Eusebius, Hieronymus, Epiphanius. Id saltem Corinthi factum fuisse *ex prisca consuetudine* luculentus nobis est testis Dionysius corinthiorum episcopus apud Eusebium l. 4. c. 23. Nec defuere qui illam libris canonicis annumerarent. Ita ex. gr. in ultimo apostolorum canone inter N. T. libros duae Clementis epistolae recensentur.

Iam vero ante sec. 17. omnes medii et inferioris aevi theologi hanc patris apostolici epistolam deperditam lugebant. A. autem 1632. Cyrillus Lucaris patriarcha constantinopolitanus Carolo I. anglorum regi insignem dono misit codicem alex. grandioribus literis manu Theclae nobilis feminae aegyptiacae circa nicaeni I. concilii, ut fertur, tempora exaratum, in quo V. ac N. T. libris duae epistolae Clementis ad Corinthios subjiciuntur, unde eas primus evulgavit P. Junius a. 1633. Syllabas et voces deperditas et literas vetustate exesas, spatiis accuratissime dimensis supplevit, quae omnia, ut a germano Clementis textu dignosci possint, hodie in editionibus uncinis includuntur.

Jam quaeritur utrum genuino s. Clementis epistolae textu fruamur. Eruditi viri plerique contra paucos quosdam ut Tolandum, Salig, Gisb. Voëtium id tuentur, eo praesertim capite innixi, quod ea, quae veteres Ecclesiae patres ex

dicta epistola allegarunt, in nostra reperiantur[1]. Quod si nonnulla a patribus laudata non reperiuntur, poterant ea legi post c. 57., ubi folium integrum excidit. Ceterum neque de integritate (si epistolae finem excipias) ulla jam gravior dubitatio movetur.

Quo tempore scripta fuerit haec epistola non una est virorum doctorum sententia, prout nimirum Clemens immediatus Petri in Ecclesiae romanae episcopatu successor (a. 68—77) vel mediatus (a. 92—101) statuitur. Sententiam, quae hanc epistolam a 68—70. ante excidium Hierosolymae scriptam fuisse contendit, nostra aetate cl. Hefele[2]) innixus potissimum argumentis internis defendit; alteram, quae illam a. 96. vel 97. assignat, praefert cl. Fessler[3]), quod secundum pleraque veterum testimonia traditionemque ipsius ecclesiae romanae Clemens non fuerit immediatus Petri successor, sed nonnisi post Linum et Cletum.

Occasionem scribendae huic epistolae praebuit gravissima dissensio Corinthi exorta contra presbyteros a paucis excitata. Hinc enim fideles co-

---

[1]) Id prolixa collatione instituta ostendit Hefele in proleg. ed. opp. pat. apost. n. 3.

[2]) Ibid. n. 8.

[3]) Instit. patrol. t. 1. § 56.

rinthii romanae ecclesiae intercessionem ad componendum schisma literis datis implorarunt: Clemens vero hujus ecclesiae nomine [1]) praeclaram hanc atque potentissimam epistolam misit, qua corinthios ad pacem concordiamque revocaret, fidem illorum renovaret et quam recens ab apostolis susceperant traditionem inculcaret. Totus proinde est in declarando et ostendendo aemulationis et invidiae, quae schismatis causae sunt, malo, in aperienda horum vitiorum radice superbia (cum efficaci exhortatione ad poenitentiam, subjectionem, humilitatem et pacem (cc. 1—23.), aliasque virtutes, quas omnino exigit fides in Christum, qui iterum veniet et unicuique debitam rependet mercedem (cc. 23—36); ostendit dein Deum auctorem ordinis diversitatisque munerum atque potestatis in Ecclesia (37—44), hinc sceleris commissi gravitatem ob oculos ponit, ad unitatem et poenitentiam invitat caritatemque commendat [2]).

Epistolae hujus, quam jam Irenaeus [3]) po-

---

[1]) Hinc a nonnullis *Romanorum epistola* dicitur.

[2]) Cf. Fessler l. c.

[3]) Sic enim scribit l. 3. c. 3. n. 3: „Sub hoc igitur Clemente dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas literas corinthiis ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum et

tentissimam ἱκανωτάτην appellat, praestantiam pluribus commendare superfluum est. Hanc enim testantur et publica in ecclesiis lectio, et frequens illius in patrum scriptis usus atque commemoratio, et unanime virorum eruditorum suffragium ipsaque lectio. Spirat enim priscum Evangelii vigorem, viri vere apostolici spiritum, primaevae Ecclesiae simplicitatem „adeo ut, pene dicam, Spiritum Dei, non hominem, in eo loquentem sentias[1]).“ Hinc etiam saepe plane prodiit. Sequemur in hac editione Cotelerii versionem a cl. Hefele emendatam[2]).

---

annuncians quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem.“ Factum hoc haud leve praebet argumentum pro romani episcopi primatu, propter quem ad eum spectat sollicitudo omnium ecclesiarum. Cf. Ebert ap. Lumper, Historiae theologico criticae ss. PP. t. 1. c. 5. a. 1. § 6. Rothensee, der Primat des Papstes in allen christl. Jahrh. 1, 27 ss.

[1]) Wottonus in dedic.

[2]) Alteram, quae Clementi tribuitur epistola, non edemus, tum quod sit sat dubia, tum quod potius homiliae rationem habeat, neque tanti sit momenti pro re dogmatica.

SANCTI CLEMENTIS

ROMANI EPISCOPI

EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIMA.

1. Ecclesia Dei, quae Romae peregrinatur [1]), ecclesiae Dei, quae Corinthi peregrinatur, vocatis, sanctificatis voluntate divina per Dominum nostrum Jesum Christum. Gratia vobis et pax ab omnipotente Deo per Jesum Christum multiplicetur.

[1]) Maluit Clemens Ecclesiae suae quam proprio nomine hanc inscribere epistolam, vel quia tum praesules nihil sine ecclesiae suae consilio agere solerent, ut Cyprianus de se nominatim ep. 5. ad clerum suum memoravit his verbis: „Solus rescribere non potui, quando a primordio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro et consensu plebis mea privatim sententia gerere:" vel etiam ne proprias partes tueri videretur, si ubi restauranda erat apud corinthios ecclesiasticis viris competens dignitas atque reverentia, aut ipse solus aut cum eo clerus sine plebe ecclesiam alloqueretur. Cf. Coustant in h. l.

Propter subitas ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversos, qui nobis acciderunt, tardius, fratres, nosmetipsos convertisse existimamus ad ea, quae fuerant quaesita a vobis, dilecti, et ad seditionem impiam ac detestandam, Dei electis peregrinam et alienam, quam pauci homines temerarii et audaces in tantum insolentiae accenderunt, ut honorificum et illustre nomen vestrum, et ab omnibus amari dignum, vehementer blasphemetur. Quis enim apud vos diversatus omni virtute plenam, firmamque ac stabilem fidem vestram non probavit? sobriamque et moderatam in Christo pietatem non est admiratus? et splendidos ac liberales hospitalitatis vestrae mores non praedicavit? et perfectam certamque cognitionem vestram non beatam existimavit? Omnia enim sine personarum intuitu a vobis fiebant, et in Dei legibus ambulabatis, praepositis vestris subditi, et presbyteros, qui sunt inter vos, debito honore prosequentes. Juvenibus, ut moderata et honesta sectarentur, mandabatis; mulieribus in inculpabili, honesta et casta conscientia omnia peragere jussistis, diligentes maritos suos, prout officium postulat; et in obedientiae canone se continentes res dome-

sticas cum gravitate administrare docebatis, omnino honeste se gerentes.

2. Omnes humili animo eratis, in nullo inani gloriationi dediti, [aliis] subjecti potius, quam alios vobis subjicientes, lubentius dantes, quam accipientes, Dei viatico[1]) contenti et ad verba ejus diligenter attendentes, intime recondita in visceribus servabatis [verba ejus], ejusque passiones vobis prae oculis erant[2]). Sic alta et abundans pax cum inexplebili benefaciendi desiderio omnibus data fuit; plena etiam super omnes Spiritus sancti effusio facta est; sanctaque voluntate pleni sincera animi alacritate cum pia confidentia manus vestras ad Deum omnipoten-

---

[1]) I. e. commeatus et apparatus, quibus opus est in militia nostra christiana. Wott.

[2]) Luculentum habes hic patris apostolici testimonium pro divinitate Christi, cum *passiones*, quae corinthiis prae oculis erant, referri debeant tamquam ad subjectum ad *Deum*, cujus antea meminit: hinc simul perimitur ac praevertitur haeresis Nestorii: eatenus enim Deo passiones adscribi possunt, quatenus Deus Verbum et Christus homo unum fuerint subjectum, una eademque persona: et hoc negabat Nestorius, ideo nolebat, ut diceretur *Deus natus*, *passus* etc. Ceterum diu ante Nestorium haec loquendi ratio apud patres et scriptores ecclesiasticos obtinuit. cf. Franzelin, de incarnat. th. 19.

tem extendistis, supplicantes ei, ut esset erga vos animo propitio, si quid inviti peccassetis. Diu noctuque solliciti eratis pro universa fraternitate, ut numerus electorum Dei misericordia et[1]) [bona] conscientia salvaretur. Sinceri et simplices eratis, atque injuriarum invicem immemores. Seditio omnis et scissura vobis abominationi erat; proximorum delicta lugebatis; illorum defectus vestros censebatis. Benefacti nullius poenitebat vos, *ad omne bonum opus parati* (Tit. 3, 1). Ornati veneranda et virtutum plena vitae ratione omnia in timore ejus peragebatis; mandata et praecepta Domini in latitudine cordis vestri scripta erant.

3. Omnis honor et dilatatio vobis data est, et scriptum illud impletum est: *Edit, bibit, dilatatus et incrassatus est, et recalcitravit dilectus* (Deut. 32, 15). Ab hoc fonte zelus et invidia et contentio et factiones, persecutio et seditio, bellum et captivitas manarunt. Sic viles contra honoratos, inglorii contra gloriosos, insipientes contra

---

[1]) F. *συναισθήσεως*, *commiseratione*, *Mitgefühl*; seu: *συναιτήσεως*, *communi oratione* Rothe. *Συνδέσεως*, *concordia* Jun. *Συνευδοκήσεως*, *harmonia animi* Dav. Lectio Msti placet Gallandio vertenti: *unanimi consensu*, ut infra c. 34. Hefele.

sapientes, juvenes contra seniores insurrexerunt. Hanc ob causam procul absunt justitia et pax, dum unusquisque Dei timorem deserat, et in fide ejus caecutiat, neque in institutis praeceptorum ejus ambulet, aut vitam Christo dignam degat, sed secundum pravas ipsius concupiscentias incedat, iniquam et impiam invidiam resumendo, per quam et mors in mundum intravit.

4. Sic enim scriptum est: *Et factum est post dies, obtulit Cain ex fructibus terrae sacrificium Domino; Abel autem obtulit et ipse de primogenitis ovium suarum, et de adipibus earum. Et respexit Deus super Abel et super munera ejus; super Cain autem et super sacrificia ejus non advertit. Et contristatus est Cain valde, et concidit vultu suo. Et dixit Deus ad Cain: Quare tristis factus es, et quare concidit vultus tuus? Nonne si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti*[1])*? Quiesce, ad te revertitur* (*donum tuum*), *et tuae* (*iterum*) *erit potestatis*[2]). *Et dixit Cain ad Abel*

---

[1]) Sensus, ut jam Irenaeus IV, 34. docet, is est: *secundum quod videtur, recte et legitime obtulisti munera tua; quoad autem animam tuam, non recte — pectore diviso, absque simplicitate cordis.*

[2]) I. e. a me non recipitur donum tuum.

fratrem suum: Transeamus in campum. Et factum est, dum essent in campo, surrexit Cain super Abel fratrem suum, et occidit eum (Gen. 4, 3 ss.). Videtis, fratres, propter zelum et invidiam fratricidium commissum. Propter zelum pater noster Jacob a facie fratris sui Esau aufugit (Gen. 27). Zelus effecit, ut Joseph ad mortem usque exagitaretur, et usque ad servitutem recederet. Zelus Mosem a facie Pharaonis regis Aegypti fugere compulit, cum popularem suum dicentem audiret: *Quis te constituit arbitrum aut judicem super nos? Numquid tu vis me occidere, quemadmodum occidisti heri aegyptium* (Exod. 2, 14)? Propter zelum Aaron et Maria extra castra stabulati sunt [1]). Zelus Dathan et Abiron vivos ad inferos detrusit, quod cum Mose Dei famulo seditiose contenderent (Num. 16, 32). Propter zelum David non tantum alienigenarum invidiam sustinuit, sed regem etiam Saul persequutorem expertus est [2]).

---

[1]) Sola Maria Num. 12, 10 ss. lepra perfusa et extra castra exclusa memoratur.

[2]) I Reg. 18, 8 sqq. Φθόνον ἔχειν — *invideri*, phrasis bene graeca. Cler.

5. Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletas veniamus. Seculi nostri generosa exempla proponamus. Propter zelum et invidiam, qui maximae et justissimae [Ecclesiae] columnae erant, persecutionem passi sunt, et venerunt usque ad mortem. Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos. Propter zelum iniquum Petrus non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus in debitum gloriae locum discessit. Propter zelum et Paulus patientiae praemium [reportandum] sustinuit, septies in vincula conjectus [1]), fugatus, lapidatus. In oriente ac occidente verbi praeco factus illustrem fidei suae famam sortitus est, in justitia mundum universum instruens, et ad occidentis terminos [2]) veniens, et sub

---

[1]) Hac de re silet s. Scriptura.

[2]) *Italiam*, in specie *Romam*, his verbis notatam putant omnes, qui duplicem Pauli captivitatem Romae negant, e. g. Baur, (Tübing. Zeitschr. 1831. IV. p. 150. Pastoralbriefe d. A. Paulus, 1835. p. 63 sqq.) et Schenkel, (Stud. u. Krit. 1841. I. p. 75.), quibus *τὸ τέρμα τῆς δύσεως = τὸ τέρμα ἑαυτοῦ, ὃ ἐν τῇ δύσει.* His accedunt Matthies (Erklg. d. Pastoralbriefe 1840. p. 186), cui *τέρμα τ. δ. = meta, centrum* Occidentis, ergo *Roma*, et Schrader (d. Apost. Paulus. I. p. 234), cui *τέρμα τ. δ.* est finis Occidentis *versus Orientem*, ergo Italia. Econtra de

praefectis [1]) martyrium subiens. Sic e mundo migravit, et in locum sanctum abiit, patientiae summum exemplar exsistens.

6. Viris istis sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui supplicia multa et tormenta propter zelum passi exemplar optimum inter nos exstiterunt. Propter zelum mulieres persecutionem passae,

---

Hispania (Rom. 15, 24.) h. l. exponunt Pearsonus, Neander (K. G. I. p. 79. et Gesch. d. Pflanzung I. p. 265.), Guerike (Beiträge p. 122), Hug (Einl. II. p. 322), et Olshausen (Stud. u. Krit. 1838. IV. p. 953 — 957). *Hispaniae* aut alii *terrae remotiori* favent Schott (Erörterung chronol. Punkte 1832. p. 123) et Wocher (Tüb. Quartalschrft. 1830. IV. 626 sqq.). Pro *Britannia* denique, teste Jacobsono, contendunt Usserius (Brit. Eccl. Antiq. c. 1.) et Stillingsfleet (Orig. Brit. c. 1.). Hefele.

[1]) Graece *ἐπὶ τῶν ἡγουμένων*. Sub Tigellino et Nymphidio Sabino, ultimo Neronis anno Romae dominantibus. Hug Einl. 2, 323. Alii h. l. de duobus libertis et amicis Neronis Helio Caesariano et Polycleto explicant, qui Nerone in Graecia degente a. 67. omnia gubernarunt. Schott (Erörterung chronolog. Puncte, 1832. p. 123) et Neander (Gesch. d. Pflanz. 1, 265) h. l. ita explicant: Coram magistratibus et principibus terrae veritatem christianam professus est. Hefele. Coustantius tamen censet, etiamsi *ἡγουμένων* vox imperatores plures sonet, hic tamen unum Neronem non inusitato loquendi modo designare.

Danaides et Dirce [1]), postquam gravia et nefanda supplicia sustinuissent, ad firmum fidei cursum pertigerunt, et debiles corpore nobile praemium acceperunt. Zelus uxorum animos a maritis abalienavit, et dictum patris nostri Adami mutavit (Gen. 2, 23.): *Hoc jam os ex ossibus meis, et caro ex carne mea.* Zelus et contentio urbes magnas evertit, et gentes numerosas funditus delevit.

7. Haec, carissimi, non tantum, ut vos officii vestri admoneamus, scribimus, sed etiam ut nos ipsos commonefaciamus; in eadem enim arena versamur, et certamen idem nobis impositum est. Quare inanes et vanas curas relinquamus, et ad gloriosam et venerandam sanctae vocationis nostrae lineam [metam, mel. normam] veniamus. Quid pulchrum, quid jucundum et acceptum

---

[1]) Cotel. et Colomesius leg.: *Δανάη τε καὶ Διρκη*, quas illustres feminas fuisse putant, sub Nerone martyrio coronatas. Sed nullibi in martyrologiis habentur haec nomina. Boisius conjicit *εὐσεβεῖς καὶ πισταὶ*, Davisius: *ἁγναί τε καὶ δικαίαι.* Clericus (ars crit.): *ἄνευ αἰδῶς καὶ δίκης*, *sine reverentia et jure*, h. e. irreverenter habito sexu infirmiore, et contra jus et fas. Suschhaeus ex Act. 17, 34. et 9, 36. *Δάμαρις καὶ Δορκὰς* restituendum esse conjectat. Ruinartus et Jacobsonus ex margine in textum irrepsisse verba illa conjiciunt.

coram opifice nostro sit, videamus. Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, et quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, consideremus, qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam obtulit. Recurramus ad omnes mundi aetates, et discamus, quod in omni generatione, volentibus ad ipsum converti, Dominus poenitentiae locum concesserit. Noe poenitentiae praeco fuit, et qui ei obtemperarunt, salvati sunt. Jonas Ninivitis excidium praedicavit; illi autem peccatorum poenitentiam agentes precibus Deum placarunt, et salutem consecuti sunt, licet alieni a Deo essent.

8. Divinae gratiae ministri Spiritu sancto afflati de poenitentia loquuti sunt. Ipse etiam rerum omnium Dominus cum juramento de poenitentia loquutus est: *Vivo, inquit Dominus, nolo mortem peccatoris, sicut poenitentiam* (Ezech. 33, 11.); addens insuper dictum egregium: *Resipiscite, domus Israel, ab iniquitate vestra* (Ibid. et 18, 30). *Dic filiis populi mei: Si peccata vestra a terra ad coelum usque pertingant*, (Ezech. 33, 12), *si cocco rubriora et cilicio nigriora fuerint, et ad me ex toto corde conversi fueritis et dixeritis: Pater; tamquam*

populo sancto aurem vobis praebebo[1]. Et in alio loco sic dicit: *Lavamini, mundi estote, auferte mala ex animabus vestris, ab oculis meis, quiescite a malitiis vestris, discite facere bonum, quaerite rectum, liberate oppressum, judicate pupillo, et justificate viduam; et venite et disputemus, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra phoenicium, sicut nivem dealbabo, si autem fuerint ut coccinum, sicut lanam dealbabo. Et si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis; si autem nolueritis, neque exaudiveritis me, gladius devorabit vos; os enim Domini locutum est haec* (Is. 1, 16 ss.). Intentionem igitur suam, omnes dilectos suos poenitentiae participes fieri, omnipotente sua voluntate roboravit.

9. Quare magnificae ejus et gloriosae voluntati obsequamur, et suppliciter misericordiam et benignitatem ejus implorantes, relictis vanis operibus, contentione et aemulatione, quae ad mortem ducit, ad miserationes ejus advolvamur et convertamur. Fixis oculis intueamur eos, qui magnificae ejus gloriae perfecte inservierunt. Sumamus Enochum,

---

[1]) Non est in s. Scriptura, sed. cfr. Ps. 102, 11. et Isai. 1, 18.

qui in obedientia justus repertus translatus fuit, neque mors ejus deprehensa est (Gen. 5, 24. Hebr. 11, 5). Noe fidelis inventus per ministerium suum mundo regenerationem praedicavit (Gen. 6, 8. II. Petr. 2, 5); et per eum animalia, quae in concordia arcam sunt ingressa, servavit Dominus.

10. Abrahamus amicus vocatus (Jac. 2, 23) fidelis inventus est, eo quod verbis Dei obtemperaret. Hic per obedientiam e terra sua, e cognatione sua et domo patris sui egressus est, ut exigua terra, cognatione debili et domo parva derelicta, promissiones Dei possideret. Dicit enim ei: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram, quam tibi demonstravero; et faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus; et benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, et benedicentur in te omnes tribus terrae* (Gen. 12, 1—3). Et rursus, cum a Lot secederet, dixit ei Deus: *Respice oculis tuis, et vide a loco, in quo nunc tu es, ad aquilonem et africum et orientem et mare; quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam, et semini tuo usque in seculum. Et faciam semen tuum sicut arenam*

terrae; si poterit aliquis dinumerare arenam terrae, et semen tuum dinumerabitur (Gen. 13, 14—16). Et rursus dicit: *Eduxit Deus Abraham foras, et dixit ei: Respice in coelum et numera stellas, si potes dinumerare eas; sic erit semen tuum. Et credidit Abrahamus Deo, et deputatum est ei ad justitiam* (ib. 15, 5 s.). Propter fidem et hospitalitatem datus est ei filius in senectute, et per obedientiam obtulit eum in sacrificium Deo, in uno montium, quem ei ostenderat.

11. Propter hospitalitatem et pietatem Lot e Sodoma salvus evasit, quum tota regio in circuitu igne et sulphure judicaretur; Domino palam faciente, quod non derelinquat sperantes in ipsum, contra vero, qui a mandatis ejus declinant, suppliciis et tormentis puniat (Gen. 19). Uxor enim ejus quae una cum eo egressa est, cum ab eo dissentiret, nec in concordia persisteret, in signum propterea posita est et salis statua in hodiernum diem [1]) facta est; ut omnibus innotesceret, quod animo dubii et de potentia divina haesitantes, in judicium et signum omnibus generationibus proponantur.

---

[1]) Multi veterum, e. g. Joseph. Antiq. I. 11, 4. et Iren. IV, 31 hujus statuae tamquam adhuc manentis mentionem faciunt, errantes sine dubio. Frei.

12. Propter fidem et hospitalitatem Rahab meretrix incolumis servata est (Jos. 2. Hebr. 11, 31). Missis enim a Josue filio Navae ad urbem Jericho speculatoribus, rescivit terrae rex, quod regionem eorum exploraturi venissent, et viros emisit, qui eos comprehenderent, ut comprehensi necarentur. Eos igitur hospitalis Rahab suscipiens, in solario domus sub lini stipula occultavit. Supervenientibus autem viris a rege missis ac dicentibus: viri ad te ingressi sunt, regionis nostrae exploratores, educ eos, sic enim imperat rex; haec respondit: ingressi sunt duo viri ad me, quos quaeritis, sed confestim abierunt et vadunt; non ostendens eis illos, Et dixit ad viros: Sciens scio, quod Dominus Deus vester urbem hanc vobis tradit, timor enim et pavor vestri incessit incolas ejus. Simulac igitur capere illam vobis contigerit, incolumem me servate et domum patris mei. Et dixerunt ei: Sic erit, ut loquuta es nobis. Simulac igitur nos appropinquantes cognoveris, cognatos tuos omnes sub tecto tuo congregabis, et servabuntur; quotquot vero extra domum tuam invenientur, peribunt. Et adjecerunt signum ei dare, ut nempe funiculum coccineum e domo

sua demitteret; manifestum facientes, quod omnibus, qui credunt et sperant in Deum, per sanguinem Domini redemptio futura sit. Videte, dilecti, non solum fides, sed etiam prophetia in muliere fuit.

13. Humiles ergo mente simus, fratres, fastum omnem, superbiam, amentiam et iras deponentes; et quod scriptum est, faciamus. Dicit enim Spiritus sanctus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, in quaerendo illum, et faciendo jus et justitiam* (Jer. 9, 23. 24). Memoria praecipue recolamus sermones Domini Jesu, quos aequitatem et longanimitatem docens loquutus est. Sic enim dixit: *Misereminі, ut misericordiam consequamini; dimittite, ut vobis dimittatur; prout facitis, ita vobis fiet; sicut datis, ita vobis retribuetur; sicut judicatis, ita judicabimini; sicut benigni estis, ita benignitatem experiemini; qua mensura metimini, eadem vobis mensurabitur* [1]).

---

[1]) Haec verba ex locis variis s. Scripturae collecta sunt, nec semper αὐτολεξεὶ habentur, sed tamen secundum sensum. Cf. in primis Luc. 6, 36 ss.

Hoc praecepto et his mandatis stabiliamus nos ipsos, ut in obedientia sanctorum eloquiorum ejus, cum omni humilitate, semper ambulemus. Dicit enim verbum sanctum: *Super quem respiciam, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos* (Isai 66, 2.)?

14. Justum igitur et pium est, viri fratres, Deo potius obedientes nos esse, quam in superbia et turbulentia detestandae aemulationis duces et autores sequi. Detrimentum enim non leve, imo vero grande periculum sustinebimus, si praecipitanter voluntatibus hominum nos tradiderimus, qui ad contentionem et seditiones collineant, ut nos ab eo, quod rectum et bonum est, abalienent. Benigni erga ipsos simus, secundum misericordiam et dulcedinem creatoris nostri. Scriptum est enim: *Benigni incolae erunt terrae, et innocentes relinquentur in ea; iniqui vero exterminabuntur ab illa* (Prov. 2, 21. 22.). Et rursus dicit: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; et quaesivi locum illius, et non inveni. Custodi innocentiam, et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico* (Ps. 36, 35 s.).

15. Adhaereamus itaque iis, qui cum pie-

tate pacem colunt, non autem iis, qui cum simulatione pacem volunt. Dicit enim alicubi: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe abest a me* (Isai 29, 13). Et rursus: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* (Ps. 61, 5). Et rursus dicit: *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus* (Ps. 77, 36. 37). *Muta fiant labia dolosa* (Ps. 30, 19), *et disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam, eos, qui dixerunt: Linguam nostram magnificemus, labia nostra apud nos sunt, quis noster dominus est? Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus; ponam eos in salutari, confidenter agam in eo* (Ps. 11, 4 ss.).

16. Christus enim eorum est, qui humiliter de se sentiunt, non eorum, qui supra gregem ejus sese efferunt. Sceptrum majestatis Dei, Dominus noster Jesus Christus, non venit in jactantia superbiae et arrogantiae, quamvis potuerit: sed in humilitate, prout Spiritus sanctus de eo loquutus est. Dicit enim: *Domine quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Annunciavimus coram ipso: quasi*

parvulus est, sicut radix in terra sitienti; non est species ei, neque gloria; et vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem; sed species ejus erat inhonorata, deficiens prae specie hominum. Homo est, in plaga et molestia positus, et sciens ferre dolorem; quia aversa est facies ejus[1], *despecta et pro nihilo reputata. Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet; et nos reputavimus eum esse (merito)*[2] *in labore et in plaga et in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter nostra peccata, et afflictus propter nostras iniquitates. Punitio ad nostram pacem super eum venit*[3]; *livore ejus nos sanati sumus. Omnes quasi oves erravimus, homo in via sua erravit; et Dominus tradidit eum propter iniquitates nostras, et ipse afflictus licet, non aperit os. Sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os suum. In humilitate (tandem) judicium ejus sublatum est. Generationem*

---

[1]) Prae pudore seu ob alapas.

[2]) Sc. pro peccatis suis.

[3]) Punitionem, quae nobis debebatur, ut pace frueremur, ipse in se recepit. Colom.

ejus quis enarrabit? Quia de terra tollitur vita ejus, ab iniquitatibus populi mei venit ad mortem. Et dabo impios pro sepulchro ejus, et divites pro morte ejus; quia iniquitatem non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus. Et Dominus vult mundare eum plagis. Si obtuleritis pro peccato, anima vestra videbit semen longaevum. Et vult Dominus auferre de dolore animam ejus, ostendere ei lucem, et formare intelligentia, justificare justum bene servientem multis; et peccata eorum ipse portabit. Propterea ipse possidebit heredidate multos, et fortium dividet spolia, pro eo, quod tradita est ad mortem anima ejus, et in iniquis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et propter iniquitates eorum traditus est (Is. 53). Et rursus ille dicit: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, moverunt caput (dicentes): Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum* (Ps. 21, 7—9). Videtis, viri dilecti, quale nobis exemplar sit propositum; si enim Dominus ita se humiliavit, quid faciemus nos, qui sub jugum gratiae ejus per ipsum venimus?

17. Imitatores simus etiam eorum, qui in

caprinis et ovinis pellibus adventum Christi praedicantes circumierunt, Eliam dicimus et Elisaeum et Ezechielem prophetas; et cum his eos, qui [in Scriptura] praeclarum testimonium consecuti sunt (Hebr. 11, 37). Magno testimonio ornatus est Abraham, et Dei amicus appellatus est; et ipse gloriam Dei intente respiciens in humilitate dixit: *Ego autem sum terra et cinis* (Gen. 18, 27). Praeterea et de Job sic scriptum est: *Job erat justus et sine crimine, verax, colens Deum, abstinens ab omni malo* (Job. 1, 1). Sed se ipsum accusans dixit: *Nemo mundus a sorde, etsi unius diei sit vita ejus* (Job. 14, 4. 5). Moses in tota Dei domo fidelis appellatus est (Hebr. 3, 2) et per ejus ministerium Deus Aegyptum judicavit plagis et vexationibus; sed ille, honore magno affectus grandia non est locutus, sed cum ex rubo oraculum divinum ei daretur, dixit: *Quis sum ego, ut me mittas? Gracili voce et tarda lingua sum* (Exod. 3, 11. 4, 10). Et rursus dicit[1]): *Ego autem sum ollae vapor.*

18. Quid autem de David, qui egregium testimonium obtinuit, dicemus? Ad quem

---

[1]) Fortasse ex libro apocrypho.

loquutus est Deus: *Inveni hominem secundum cor meum, David, Jesse filium; oleo sempiterno unxi eum* (Ps. 88, 21). Atqui ille etiam dicit ad Deum: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum coram me est semper. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris. Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexisti. Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi. Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Audire me facies exsultationem et laetitiam, (et) exsultabunt ossa (mea) humiliata. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et spiritum tuum sanctum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu (carni) imperante confirma me. Docebo*

iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae. Decantabit lingua mea justitiam tuam. Domine, os meum aperies, et labia mea annunciabunt laudem tuam. Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem utique; (sed) holocaustis non delectaris. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (Ps. 50, 3 ss.).

19. Talium igitur et tantorum, qui tam clarum elogium consecuti sunt, humilitas et per obedientiam subjectio, non tantum nos, sed et generationes ante nos meliores reddidit, eos nempe qui in timore et veritate susceperunt eloquia ejus. Quare multorum magnorumque et illustrium gestorum participes facti[1]), recurramus ad pacis scopum nobis ab initio traditum, et totius mundi parentem et creatorem diligenter intueamur, atque illius magnificis et exsuperantibus donis pacis et benefactis firmiter adhaereamus. Co gitatione contemplemur eum, et mentis oculis longanimam ejus voluntatem intueamur; v i-

---

[1]) Participes πράξεων sumus, quia earum memoriam nobis prodit S. Scriptura. Dau.

debimus, quantopere clementem se praebeat erga omnem creaturam suam.

20. Coeli gubernatione ejus commoti in pace ei subjiciuntur; dies etiam et nox nullo sibi invicem impedimento constitutum ab eo cursum absolvunt. Sol et luna, et siderum chori secundum ejus mandatum sine ullo errore in concordia sibi constitutas dispositiones evolvunt. Terra gravida secundum ejus voluntatem suis temporibus hominibus, feris et omnibus, quae super eam sunt, animantibus, alimentum in abundantia profert, non haesitans, neque mutans quidquam eorum, quae ab illo decreta sunt. Abyssorum investigabilia et profundi inenarrabiles institutiones [1]) eisdem legibus continentur. Moles immensi maris per ordinationem ejus in cumulos coagmentata circumposita sibi claustra non transgreditur, sed prout ei praecepit, ita facit. Dixit enim: *Huc usque venies, et in te ipso conterentur fluctus tui* (Job. 38, 11). Oceanus hominibus infinitus, et qui trans ipsum sunt mundi [2]), eisdem Do-

---

[1]) I. e. *rationes* sive *dispositiones.* Alii malunt *κύματα, undae,* f. *κλίματα.* Wott. *Κρύμματα, occultae voragines* (vox Graecis insolens) Birr. *Κρίματα οἰκονομίαι,* 17 = Suidas.

[2]) Coustantio probabile videtur cognitas orbis

mini dispositionibus gubernantur. Vernae, aestivae, autumnales et hyemales tempestates in pace aliae aliis succedunt. Ventorum stationes peculiari suo tempore munus suum sine offendiculo obeunt; fontes etiam perennes, ad usum et sanitatem facti, ubera sine defectu ad vitam hominum sustentandam praebent; et animalia minima in pace et concordia coetus suos faciunt. Haec omnia magnus opifex et omnium Dominus in pace et concordia fieri jussit, benefaciens omnibus, superabundanter autem nobis, qui ad miserationes ejus confugimus, per Dominum Jesum Christum, cui gloria et majestas in secula seculorum. Amen.

21. Videte, dilecti, ne beneficia ejus, quae multa sunt, nobis omnibus in condemnationem cedant, nisi digne illo viventes bona et accepta in conspectu ejus cum concordia fecerimus. Dicit enim alicubi: *Spiritus Domini lucerna scrutans cavernas ventris* (Prov. 20, 27). Consideremus, quam prope sit, et quod cogitationum nostrarum et colloquiorum, quae habemus, nihil ipsum lateat. Aequum

---

partes, quae prius latebant, extra Oceanum mundos a Clemente appellari, eamque locutionem antiquis usitatam fuisse Caesaris, Virgilii, Senecae aliorumve loci a Cotelerio relati probant.

est igitur, ut non simus transfugae a voluntate ejus. Homines stultos et insipientes, elatos et in sermonis sui jactantia gloriantes, potius quam Deum, offendamus. Dominum Jesum Chrisum, cujus sanguis pro nobis datus est, veneremur; praepositos nostros revereamur, seniores nostros honoremus, juvenes[1]) in disciplina timoris Dei erudiamus, uxores nostras ad id, quod bonum est, dirigamus. Amabiles castitatis mores ostendant, puram et sinceram mansuetudinis suae voluntatem demonstrent, linguae suae moderationem voce manifestam faciant, charitatem suam sine personarum acceptione omnibus Deum sancte timentibus aequalem exhibeant. Liberi vestri disciplinae Christi participes sint; discant, quantum humilitas apud Deum valeat, quid casta charitas apud Deum possit, quemadmodum timor ejus bonus est et magnus, servans omnes, qui in ipso sancte versantur in pura mente. Est enim cogitati-

---

[1]) Thoenissen censet (zwei histor. theolog. Abhandl. Trier 1841) προηγουμένους (praepositos) hic designare praesentem episcopum corinthiorum et successores ejus; vocem πρεσβυτέρους (seniores) presbyterorum collegium; νέους (juvenes) vero multitudinem laicorum.

onum et consiliorum mentis scrutator, cujus spiritus est in nobis; et quum voluerit, auferet eum.

22. Haec autem omnia confirmat fides, quae est in Christo. Ipse enim per Spiritum sanctum ita nos compellat: *Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligens dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia, ne loquantur dolum. Declina a malo, et fac bonum. Quaere pacem, et persequere eam. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Clamavit justus, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum* (Ps. 33, 12 ss). *Multa sunt flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* (Ps. 31, 10).

23. Misericors in omnibus et benignus Pater viscera erga timentes eum habet, gratiasque suas benigne et suaviter largitur iis, qui ad ipsum simplici mente accedunt. Quare animo duplici ne simus, neque super eximiis et honorificis donis ejus efferatur anima nostra. Longe a nobis absit Scriptura haec,

ubi dicitur[1]): *Miseri sunt, qui animo sunt duplices et dubii, dicentes: Haec audivimus etiam a patribus nostris, et ecce, consenuimus, et nihil horum nobis accidit. O fatui, comparate vos arbori; vitem sumite. Primum quidem foliis nudatur, germen postea fit, folium deinde et flos, posthaec uva acerba, tandem demum uva matura. Videtis, quod in exiguo tempore fructus arboris ad maturitatem perducitur.* In veritate, brevi et subito voluntas ejus perficietur; Scriptura etiam testimonium perhibente, *quod statim venturus sit, neque tardabit* (Habac. 2, 3), *et statim veniet Dominus in templum suum, et sanctus, quem vos exspectatis* (Mal. 3, 1).

24. Consideremus, dilecti, quemadmodum Dominus futuram resurrectionem continue nobis ostendat, cujus primitias Dominum Jesum Christum fecit, suscitans eum a mortuis. Intueamur, dilecti, resurrectionem, quae omni tempore fit. Dies et nox resurrectionem

---

[1]) Haec verba ex apocrypha quadam scriptura sumta fuisse censet Cotelerius. Contra Wottonus conjicit, loca Jac. 1, 8. et II. Petr. 3, 3. 4. (et Matth. 25. 32.) inter se collata in animo Clementis fuisse.

nobis ostendunt; nox cubat, exsurgit dies; abit dies, nox ingruit et insequitur. Intueamur fruges, seminatio grani quomodo fiat. Egressus est seminator, et semen in terram jecit, et jactis seminibus, quae nuda et arida in terram ceciderunt, dissolvuntur. Deinde ex dissolutione magna divinae providentiae potentia ea resuscitat, ac ex uno plura fiunt, et fructum producunt.

25. Contemplemur signum mirabile, quod in partibus orientis scilicet in Arabia et viciniis fit. Avis est, quae phoenix vocatur. Haec unigena exsistens annos quingentos vivit, quumque jam morte dissolvenda est, e thure, myrrha et reliquis aromatibus loculum sibi struit, quem completo annorum spatio ingreditur, et vitam deponit. Ex carne vero ejus putrefacta vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumescit. Auctis postea viribus loculum tollit, in quo ossa parentis recondita sunt, eaque portans iter ex arabica regione in Aegyptum et urbem, quae Heliopolis dicitur, perficit. Ac spectantibus omnibus diurno tempore advolans, super altare Solis illa collocat, atque ita, unde venerat, regreditur. Sacerdotes commentarios temporum dili-

genter inspiciunt, et impleto anno quingentesimo redisse illam comperiunt [1]).

26. An magnum igitur et admirabile arbitrabimur, si rerum omnium opifex resurgere eos faciat, qui in bonae fidei confidentia religiose illi inservierunt, cum per volucrem promissionis suae magnificentiam abunde nobis patefaciat? Dicit enim alicubi: *Suscitabis me, et confitebor tibi* (Ps. 27, 7.); et: *Dormivi et soporatus sum; surrexi, quia tu mecum es* (Ps. 3, 6). Et rursus Job dicit: *Et carnem hanc meam resuscitabis, quae omnia haec passa est* (Job. 19, 25. 26).

27. Hac igitur spe animi nostri ad eum adstringantur, qui fidelis est in promissionibus, et justus in judiciis. Qui mentiri vetuit, multo minus ipse mentietur; nihil enim Deo impossibile praeterquam mentiri. Ex-

---

[1]) Similia habent Cyrillus hieros. cat. 18. n. 8; Tertullianus de resur. carnis n. 13; auctor carminis ad Felicem de resur. mort. c. 5. (Mi. 4, 1029); constitutiones apost. 5, 7; Epiphanius ancor. n. 85; Physiol. c. 11; Basilius hom. 8. in hex.; Ambrosius de exces. fatris Satyri l. 2. n. 59. Porro excusandi sunt patres, si quandoque ad dogmata illustranda ad ejusmodi fabellas provocant, cum sat vulgatae et a plurimis creditae tunc temporis fuerint.

suscitetur itaque in nobis fides ejus, et quod omnia ipsi propinqua sint, consideremus. Verbo majestatis suae constituit omnia, et verbo suo potest illa evertere. *Quis dicet ei: Quid fecisti? Vel quis fortitudinis ejus robori resistet?* (Sap. 12, 12; 11, 22.) Quando vult, et quomodo vult, omnia fecit; neque quidquam ab eo semel decretum praeteribit. Omnia coram ipso sunt, nihilque consilium ejus latuit. *Si coeli enarrant gloriam Dei; opus manuum ejus annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam; et non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (Ps. 18, 1. ss.).

28. Cum omnia igitur ejus oculis et auribus pateant, metuamus eum, et impuras cupiditates pravorum operum deseramus, ut a futuro judicio ejus misericordia tegamur. Quonam enim quis nostrum a potente ejus manu fugere potest? Quis mundus quempiam ab eo transfugam recipiet? Dicit enim alicubi Scriptura: *Quo ibo, et ubi a facie tua occultabor? Si ascendero in coelum, tu illic es; si ad terrae extrema abiero, dextra tua illic; si stratum posuero in abysso, illic est spiritus tuus* (Ps. 138, 7—10.). Quo igitur

abibit quispiam, vel quo aufugiet ab eo, qui omnia complectitur?

29. Accedamus ergo ad eum in sanctitate animae, castas et impollutas manus elevantes ad illum, diligentes benignum et misericordem patrem nostrum, qui nos sibi ipsi electionis partem fecit. Sic enim scriptum est (Deut. 32, 8. 9.): *Quando dividebat Altissimus gentes, quando disseminavit filios Adae, constituit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei. Et factus est pars Domini Jacob, funiculus hereditatis ejus Israel.* Et in alio loco dicit (Deut. 4, 34.): *Ecce Dominus tollit sibi gentem e medio gentium, prout homo primitias areae tollit; et ex gente illa sancta sanctorum egredientur.*

30. Cum igitur portio Sancti simus, faciamus omnia, quae ad sanctitatem pertinent, obtrectationes devitantes, impuros ac impudicos complexus, ebrietates, novarum rerum studia, concupiscentias abominandas, detestandum adulterium, exsecrabilem superbiam. *Deus enim*, inquit, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Prov. 3, 34). Adglutinemur igitur iis, quibus gratia [1]) a Deo

---

[1]) I. e. humilibus.

concessa est. Induamus concordiam, humiles, continentes, ab omni susurro et obtrectatione procul recedentes, operibus, non autem verbis nos justificantes. Dicit enim (Job. 11, 2, 3.): *Qui multa dicit, et vicissim audiet; aut vir verbosus putat se esse justum? Benedictus natus mulieris, brevis vitae; ne multus sis in verbis.* Sit laus nostra in Deo, et non a nobis ipsis; odit enim Deus eos, qui semetipsos laudant. Testimonium bonarum nostrarum actionum ab aliis nobis exhibeatur, sicut patribus nostris, qui justi erant, exhibitum est. Temeritas, arrogantia et audacia maledictis a Deo; moderatio vero, humilitas et mansuetudo illis, qui a Deo benedicti sunt.

31. Ejus igitur benedictioni firmiter adhaereamus, et quaenam sint benedictionis viae, videamus. Animo repetamus, quae ab initio facta sunt. Cujus gratia Abraham pater noster benedictus fuit? Nonne, quia justitiam et veritatem per fidem operatus est (Cfr. Jac. 2, 21.)? Isaac cum confidentia, [quasi] futurum cognoscens, libenter factus est sacrificium (Gen. 22.). Jacob in humilitate ob fratrem secessit e terra sua, et profectus est ad Laban, et servivit; et data sunt ei duodecim sceptra Israelis (Gen. 28).

32. Si quis animo sincero singula perpenderit donorum, quae a Deo [Jacobo] tributa sunt, magnificentiam intelliget. Ab illo enim orti sunt sacerdotes omnes et levitae, qui altari inserviunt; ab illo Dominus Jesus secundum carnem; ab illo reges, principes et duces per familiam Judae. Nec reliquae ejus tribus in parvo honore sunt, promittente scilicet Domino: *Erit semen tuum tamquam stellae coeli* (Gen. 22, 17.). Ii ergo omnes gloriam et amplitudinem consecuti sunt, non per seipsos, aut opera sua aut justas actiones, quas fecerunt, sed per voluntatem ejus. Et nos igitur, ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justificamur, neque per sapientiam nostram aut intelligentiam aut pietatem aut opera, quae in cordis sanctitate operati sumus, sed per fidem, per quam omnipotens Deus ab initio omnes justificavit; cui sit gloria in secula seculorum. Amen!

33. Quid igitur faciemus, fratres? Cessabimus a bonis operibus, et charitatem derelinquemus? Neutiquam hoc apud nos fieri permittat Dominus, sed cum diligentia et animi alacritate omne opus bonum peragere festinemus. Ipse enim opifex et Dominus omnium in operibus suis exsultat. Coelos enim suprema sua et maxima potentia sta-

bilivit, illosque incomprehensibili sua sapientia ornavit; terram etiam ab aqua, quae illam ambit, separavit, et super immobile propriae voluntatis fundamentum firmavit; et animalia, quae in illa versantur, jussu suo praecepit esse; mare etiam, et quae in illo vivunt animalia, cum prius creasset, potentia sua inclusit. Ad haec animal excellentissimum et intellectus dignitate celsissimum, hominem, imaginis suae characterem sacris et intaminatis manibus formavit. Sic enim dicit Deus (Gen. 1, 26. 27.): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et creavit Deus hominem, masculum et feminam creavit eos.* Haec igitur omnia cum perfecisset, laudavit ea, et benedixit dixitque: *Crescite et multiplicamini* (Gen. 1, 28.). Videamus, justos omnes bonis operibus ornatos fuisse; ipse etiam Dominus operibus seipsum ornans gavisus est. Habentes itaque hoc exemplar, ad voluntatem ejus impigre accedamus, et totis nostris viribus opus justitiae operemur.

34. Bonus operarius bono animo panem operis sui accipit; segnis vero et remissus locatorem suum non audet intueri. Oportet ergo nos ad bonum faciendum prompto animo esse; a Deo enim omnia porriguntur. Prae-

dicit enim nobis (Apocal. 22, 12.): *Ecce Dominus, et merces ejus coram ipso, ut reddat unicuique secundum opus suum.* Itaque adhortando nos ad ipsum converti toto corde, ne segnes et desides simus ad omne opus bonum. Gloriatio nostra et fiducia in ipso sit; voluntati ejus subjiciamur, et multitudinem universam angelorum ejus diligenter consideremus, quomodo adstantes voluntatem ejus exsequantur. Dicit enim Scriptura: *Dena millia denum millium assistebant ei, et mille millia deserviebant ei* (Dan. 7, 10.) *et clamabant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth; plena est omnis creatura gloria ejus* (Is. 6, 3). Et nos ergo conscientia ducti, in concordia in unum congregati, tamquam ex uno ore ad ipsum clamemus, ut magnarum et gloriosarum promissionum ejus participes fiamus. Dicit enim: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta praeparavit exspectantibus eum* (1. Cor. 2, 9).

35. Quam beata, dilecti, et mirabilia sunt dona Dei! Vita in immortalitate, splendor in justitia, veritas in libertate, fides in confidentia, temperantia in sanctitate; attamen haec omnia sub intellectum nostrum cadunt. Quaenam igitur sunt, quae exspectantibus

eum praeparantur? Sanctissimus opifex et seculorum pater solus quantitatem et pulchritudinem eorum novit. Nos igitur, ut promissorum donorum participes fiamus, in numero exspectantium eum reperiri, summo studio contendamus. Quomodo autem hoc fiet, dilecti? Si fide in Deum cognitio nostra stabilita fuerit, si grata illi et accepta diligenter quaesiverimus; si, quae ad inculpatam ejus voluntatem spectant, fecerimus, et viam veritatis sequuti fuerimus, abjicientes a nobis omnem injustitiam, iniquitatem, avaritiam, contentiones, malitias et fraudes, susurrationes et obtrectationes, odium Dei, superbiam, fastum, vanam gloriam et inhospitalitatem; qui enim haec faciunt, Deo odio sunt, neque illi solum, qui haec faciunt, sed qui eis consentiunt (Rom. 1, 32). Dicit enim Scriptura: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu enim odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et filio matris tuae ponebas laqueum. Haec fecisti*

et tacui; existimasti, inique, quod ero tibi similis. Arguam te, et statuam te contra faciem tuam. Intelligite utique haec, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat (vos) tamquam leo, et non sit, qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutem Dei (Ps. 49, 16 ss.)

36. Haec est via, dilecti, in qua salutare nostrum invenimus, Jesum Christum, oblationum nostrarum pontificem, infirmitatis nostrae patronum et auxiliatorem. Per hunc coelorum altitudinem aspicimus; per hunc vultum ejus immaculatum et excelsum speculamur; per hunc oculi cordis nostri aperti sunt; per hunc insipiens et obscurata mens nostra in admirabilem ejus lucem reflorescit; per hunc voluit Dominus nos immortalem cognitionem gustare; [per hunc], qui majestatis Dei splendor existens, tanto major est angelis, quanto excellentius nomen sortitus est (Hebr. 1, 3 s.). Scriptum enim est (Ps. 103, 4): *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignis flammam.* De Filio autem suo sic dixit Dominus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (Ps. 2, 7 s.). Et iterum dicit ad eum (Ps. 109, 1. Hebr.

1, 13.): *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quinam autem sunt inimici? Homines perversi, et qui divinae voluntati resistunt.

37. Militemus igitur, viri fratres, omnibus viribus sub inculpatis ejus praeceptis. Consideremus milites, qui sub ducibus nostris merent, quam ordinate, quam obedienter, quam submisse imperata exsequantur. Non omnes sunt praefecti, neque chiliarchae, neque centuriones, neque quinquagenarii, et sic deinceps; unusquisque vero in suo ordine et statione, quae a rege et ducibus imperantur, peragit. Magni sine parvis, et parvi sine magnis consistere nequeunt; mixti sunt omnes, et inde usus. Exemplo nobis sit corpus nostrum. Caput sine pedibus nihil est, prout neque pedes sine capite; minima autem corporis nostri membra universo corpori necessaria et utilia sunt. Imo cuncta conspirant, et una eademque subjectione ad conservationem totius corporis utuntur (1. Cor. 12, 14 ss.).

38. Servetur itaque corpus nostrum in Christo Jesu, et unusquisque proximo suo subjiciatur juxta ordinem, in quo per gratiam ejus positus est. Fortis ne negligat imbecillem, imbecillis fortem revereatur; dives pau-

peri largiatur, pauper Deum laudet, quod ei dederit, per quem ejus inopia suppleatur. Sapiens non in verbis, sed in bonis operibus sapientiam suam manifestet; humilis non sibi testimonium ferat, sed ab altero sibi ferri sinat. Qui carne castus est, ne insolescat, cum sciat alium esse, qui continentiae donum ipsi tribuat. Consideremus ergo, fratres, ex qua materia facti simus, qui et quales mundum ingressi simus, tamquam ex sepulchro et tenebris. Qui nos fecit et condidit, praeparatis prius benefactis suis antequam nasceremur, in mundum suum nos introduxit. Haec igitur omnia cum ab eo habeamus, in omnibus gratias ipsi agere debemus, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

39. Stulti [unice] et insipientes, et fatui et imperiti derident nos ac subsannant, dum cogitationibus suis se extollere cupiunt. Quid enim potest mortalis, aut quale robur terrigenae? Scriptum enim est: *Non erat figura ante oculos meos, sed auram et vocem audiebam (dicentem): quid enim? numquid homo coram Domino mundus erit, vel de operibus suis inculpabilis vir, si servis suis confidit, et in angelis suis prava animadvertit? Coelum quoque non est mundum ante eum, multo minus habitantes domos*

luteas, ex quibus et ipsi de eodem luto sumus. Devoravit illos tamquam tinea, et a mane usque ad vesperam ultra non sunt; eo quod non possunt sibi ipsis subvenire, perierunt. Insufflavit eis, et interierunt, quia non habebant sapientiam (Job 4, 16 ss., 15, 15). *Invoca autem, si quis tibi respondeat, vel si quem sanctorum angelorum aspicias; etenim insipientem perimit ira, stultum autem occidit zelus. Ego autem vidi stultos radices mittentes; sed statim absumpta est illorum habitatio. Longe fiant filii eorum a salute, et contemnantur ante januas minorum, et non erit, qui eripiat; quae enim illis parata sunt, justi comedent; ipsi vero de malis non iberabuntur* (Job. 5, 1 ss.).

40. Cum igitur haec nobis sint manifesta, et in profunda divinae cognitionis nos introspiciamus, cuncta ordine debemus facere, (Cfr. I Cor. 14, 40.), quae nos Dominus statutis temporibus peragere jussit. Oblationes scilicet et officia sacra perfici, neque temere vel inordinate fieri praecepit, sed statutis temporibus et horis. Ubi etiam et a quibus celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit, ut religiose omnia secundum ejus beneplacitum adimpleta, accepta essent

voluntati ejus. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt; Domini enim mandata sequentes non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus [1]) proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt [2]). Homo laicus praeceptis laicis constringitur.

41. Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine, in bona conscientia, praescriptam ministerii sui regulam non transgrediens, in honestate Deo gratias agat. Non in omni loco, fratres, offeruntur sacrificia perpetua, vel votiva, vel pro peccatis et delictis, sed Hierosolymis tantum; neque illic in quovis loco fit oblatio, sed in atrio templi ad altare, diligenter prius inspecto sacrificio a summo [3])

---

[1]) I. e. ordo sacri ministerii, ut infra c. 44. et apud Ignat. ad Polyc. c. 1. ad Smirn. c. 6.

[2]) Credibile est, vocem λαϊκὸς usitatam apud Hellenistas fuisse, ut significaretur alienus a tribu Levi, aut etiam prosapia Aaronis. Quibus verisimile fit, jam a primaevis scriptoribus christianorum vocem λαϊκὸς adhibitam esse ad significandum eum, qui sacro nullo ministerio fungebatur. Cler.

[3]) Id erat potius sacerdotum inferioris ordinis; summo vero sacerdoti aliquali modo tribui potest hoc officium, cum sub ejus oculis peractum fuerit hoc negotium. Wott. Frey.

sacerdote et praedictis ministris[1]). Qui igitur praeter id, quod voluntati ejus consentaneum est, aliquid faciunt, mortis supplicio puniuntur. Videtis, fratres, quo majori cognitione digni sumus habiti, eo graviori periculo obnoxii sumus.

42. Apostoli nobis jussu Domini Jesu Christi evangelizaverunt, Jesus Christus jussu Dei. Missus est igitur Christus a Deo, et apostoli a Christo[2]); et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, et per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt, annunciantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit; multis enim retro seculis de episcopis et diaconis

---

[1]) Hinc nonnulli inferunt, epistolam stante adhuc templo hierosolymitano conscriptam fuisse, cum adeo aperte s. Clemens ad ministeria sacerdotii aaronici respiciat atque cultum mosaicum tamquam adhuc vigentem describat.

[2]) Cf. cum his, quae habet Tertullianus de praescr. c. 21. opusc. t. 9. p. 80.

scriptum est. Sic enim alicubi dicit Scriptura: *Constituam episcopos eorum in justitia; et diaconos eorum in fide* (Isai 60, 17).[1]

43. Et quid mirum, si quibus in Christo a Deo hoc munus commissum fuit, praedictos constituerint? quandoquidem beatus Moyses, fidelis servus in universa domo (Num. 12, 7), omnia, quae ipsi mandata erant, in sacris libris notaverit; quem ceteri prophetae sequuti sunt, iis, quae ab ipso sancita sunt, testimonium pariter perhibentes. Ille enim, cum aemulatio pro sacerdotio incidisset, et

---

[1] Putant nonnulli posse se hinc conficere, duos tantum in clero ordines, episcopos scil. et diaconos, a Clemente cognosci. Verum superius n. 40. praeter sacerdotes et levitas summum sacerdotem praedicat et inferius n. 44. cum corinthiis expostulat, quod dejecti ab iis sint presbyteri, quos apostoli aliive eximii viri ordinassent. Praeterea s. Ignatius, s. Clementis fere aequalis, luculentissime in omnibus suis epistolis hierarchiam tribus constantem gradibus agnoscit omnibusque notissimam supponit. Forte episcopos tantum et diaconos hic recenset propter Is. locum, quem citat, in quo episcopi et diaconi nominatim memorantur. Ceterum et illud adverti potest Clementem loqui de facto, non de jure: jam vero concedi potest, apostolos cum ecclesias fundarent, primum cogitasse de constituendis episcopis et diaconis relinquentes presbyterorum ordinationem episcopis.

tribus inter se dissentirent, quaenam illarum glorioso illo nomine ornanda esset, jussit duodecim tribuum principes afferre sibi virgas, quae uniuscujusque tribus nomen inscriptum haberent. Quas cum accepisset, in fasciculum ligavit, et annulis principum tribuum signavit, et in tabernaculo testimonii super mensam Dei deposuit eas. Clausoque tabernaculo claves similiter et virgas signavit, et dixit eis: Viri fratres, cujus tribus virga germinaverit, hanc elegit Deus, quae ipsi sacra faciat et ministret. Mane autem facto congregavit universum populum Israel, sexcenta millia virorum, et tribuum principibus sigilla ostendit, tabernaculum testimonii aperuit, et virgas protulit. Et inventa est virga Aaronis non tantum germinasse, sed et fructum ferens (Num. 17). Quid, dilecti, vobis videtur? An non hoc futurum praesciverat Moyses? Maxime noverat; verum ne seditio in populo Israel oriretur, ita se gessit, ut nomen veri et solius Dei glorificaretur, cui sit gloria in secula seculorum. Amen!

44. Apostoli quoque nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus orituram; ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos, ac

deinceps ordinationem dederunt [1]), ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Constitutos itaque ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete, nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos putamus munere suo non juste dejici. Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos, qui sancte et sine reprehensione offerunt munera, episcopatu ejicimus. Beati presbyteri, viam prius emensi, qui fructuosam perfectamque dissolutionem consequuti sunt; non enim verentur, ne quis eos transferat de loco ipsis constituto. Videmus enim, quod vos nonnullos honeste viventes e munere, quo rite insigniti sunt, dimovistis.

45. Contentiosi estis, fratres, et in rebus, quae ad salutem minime pertinent, accensi zelo. Scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus sancti vera sunt oracula. Attendite,

---

[1]) Graece *καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν.* Plures sunt hujus loci apud eruditos interpretationes. Hefele censet *ἐπινομή* (*a νέμω* derivatum) forte a *νόμος* derivari posse, ita ut *praeceptum, ordinationem* significet.

in illis nihil injustum neque perversum scriptum esse. Non enim a viris sanctis invenietis justos rejectos. Persecutionem passi sunt justi, sed ab iniquis; in carcerem sunt conjecti, sed ab impiis; lapidati sunt, sed a nefariis; occisi sunt, sed a scelestis et injusto zelo abreptis. Haec patientes gloriose tulerunt. Quid enim, fratres, dicemus? Daniel in speluncam leonum ab eis, qui Deum timebant, conjectus est (Dan. 6, 16)? An Ananias, Azarias et Misael conclusi sunt in fornacem ignis ab eis, qui magnificum et gloriosum altissimi cultum observabant (ib. 3, 20)? Absit prorsus! Quinam igitur haec patrarunt? Abominandi et omni malitia pleni eo furoris rixati sunt, ut eos, qui in sancta et inculpata voluntate Deo servierunt, tormentis injecerint ignorantes Altissimum propugnatorem et defensorem eorum esse, qui in pura conscientia nomen ejus virtute plenum colunt, cui sit gloria in secula seculorum, Amen! Illi vero, in fiducia patienter tolerantes, gloriae et honoris heredes facti sunt, et a Deo exaltati et candidi sunt effecti in memoria ipsorum in secula seculorum, Amen!

46. Talibus igitur exemplis et nos adhaerere oportet, fratres. Scriptum enim est: *Sanctis vos adjungite, quia, qui illis ad-*

haerent, sanctificabuntur[1]. Et rursus in alio loco: *Cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris* (Ps. 17, 26. 27.). Quare innocentibus et justis jungamus nos; ii quippe sunt electi Dei. Cur inter vos sunt contentiones, irae, dissensiones, schismata et bellum? Nonne unum Deum et unum Christum habemus? Nonne unus est Spiritus gratiae, qui super nos effusus est, una vocatio in Christo? Cur divellimus et discerpimus membra Christi, et contra proprium corpus seditionem movemus, eoque vesaniae devenimus, ut alios aliorum membra esse obliviscamur? Recordamini verborum Jesu Domini nostri. Dixit enim: *Vae homini illi! Bonum erat ei, si natus non fuisset, quam ut unum ex electis meis scandalizaret; melius erat, ut ei mola circumponeretur, et demergeretur in mare, quam ut unum de pusillis meis scandalizaret.* Schisma vestrum multos pervertit, multos in animi dejectionem, multos in vacillationem, omnes nos in tristitiam conjecit, nos omnes moerore affecit; et adhuc seditio vestra persistit[2].

---

[1]) Non est in S. Scriptura. Cfr. Clem. Alex. Strom. V, 8. p. 677.

[2]) Quod antiquis non insolens fuit, multa testi-

47. Epistolam beati Pauli apostoli in manus sumite. Quid primum vobis in principio Evangelii scripsit? Certe divinitus inspiratus de seipso, de Cepha et Apollo ad vos literas dedit, quia etiam tum inter vos factiones et partium studia fuerant. Sed factio ista minus vobis intulit peccatum; propendebatis enim in apostolos praeclaro testimonio celebres, et in virum ab illis probatum. Nunc vero, qui sint, qui vos perverterint, et nominatissimi amoris vestri fraterni decus imminuerint, vobiscum perpendite. Turpia, fratres, turpia valde et christiana conversatione indigna audire debemus, firmissimam scilicet et antiquam Corinthiorum ecclesiam propter unum aut alterum hominem contra presbyteros seditionem movere. Et hic quidem rumor non tantum ad nos, sed ad eos etiam, qui a nobis alieni sunt, manavit; ita ut propter vestram amentiam blasphemiae nomini Domini inferantur, et vobis ipsis periculum creetur.

48. Auferamus igitur hoc celeriter; pedibus Domini advolvamur, et flentes suppli-

---

monia in unum conjungit: nempe Matth. 26, 24. Luc. 17, 2. Matth. 18, 6. Marc. 9, 42. Cotel. Citantur eadem a Clem. Alex. Strom. III. 18. p. 561.

citer imploremus eum, ut propitius factus nobis reconcilietur, et pristinae nostrae decorae et castae fraterni amoris conversationi nos restituat. Haec enim (vita) porta justitiae est ad vitam aperta, sicut scriptum est: *Aperite mihi portas justitiae; ingressus in eas confitebor Domino; haec porta Domini, justi intrabunt in eam* (Ps. 117, 19. 20). Cum igitur multae portae apertae sint, ea, quae est justitiae, eadem et in Christo est; beati omnes, qui in eam intrarunt, et iter suum in sanctitate et justitia direxerunt, omnia imperturbate peragentes. Sit aliquis fidelis, sit potens in enarranda cognitione sublimiori, sit sapiens in sermonum dijudicatione, sit castus in operibus; tanto humilior esse debet, quanto major esse videtur, et quaerere debet, quod omnibus utile est, non solum sibi (Cfr. I. Cor. 10, 33).

49. Qui charitatem in Christo habet, servet Christi mandata. Vinculum charitatis Dei quis potest enarrare? Quis pulcritudinis ejus magnificentiam, prout par est, eloqui valet? Altitudo, ad quam evehit charitas, inenarrabilis est. Charitas nos Deo agglutinat; charitas peccatorum multitudinem tegit (I. Petr. 4, 8); charitas omnia sustinet, omnia patienter tolerat; nihil sordidum in charitate,

nihil superbum; charitas schisma non habet, charitas seditionem non movet; charitas omnia in concordia facit; in charitate omnes Dei electi perfecti sunt facti; sine charitate nihil Deo acceptum est (1. Cor. 13, 4 ss.). In charitate nos Dominus sibi assumsit; propter charitatem, quam erga nos habuit, Dominus noster Jesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit, et animam pro animabus nostris.

50. Videtis, dilecti, quam magna et admiranda sit charitas, et quod perfectio ejus nequeat enarrari. Quis est idoneus, ut in ipsa inveniatur, praeter eos, quos Deus dignos esse voluerit? Oremus igitur et petamus ab illius misericordia, ut in charitate vivamus, sine propensione aliqua humana et inculpati. Generationes omnes ab Adam usque in hodiernum diem praeterierunt; qui vero per Dei gratiam in charitate sunt consummati, locum piorum obtinent, et in visitatione regni Christi manifestabuntur. Scriptum enim est: *Ingredere in cubicula paululum quantulumcunque, donec ira mea et furor pertranseat* (Isai 26, 20); *et recordabor diei boni, et suscitabo vos e sepulchris vestris* (Cf. Ez. 37, 12) [1]). Beati sumus, dilecti, si praecepta

[1]) Simile nonnihil habes in libro apocrypho IV. Esdr. 2, 16. Jac.

Domini in charitatis concordia impleverimus, ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur. Scriptum enim est: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cujus peccatum Dominus non imputabit, neque est in ore ejus dolus* (Ps. 31, 1 s.). Haec beatitudinis praedicatio ad eos pertinet, qui per Jesum Christum Dominum nostrum a Deo sunt electi, cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

51. Quaecunque igitur per aliquas adversarii [suggestiones] deliquimus, veniam et indulgentiam imploremus; illi vero, qui seditionis et dissensionis principes exstiterunt, communem spem contemplari debent. Qui enim in timore et charitate vitam degunt, se ipsos potius quam proximos in cruciatus incidere volunt, et se ipsos potius quam pulchre et juste traditam nobis consensionem subire vituperationem volunt. Melius enim est homini, peccata sua confiteri, quam indurare cor suum; prout induratum est eorum cor, qui contra Moysem famulum Domini seditionem concitarunt, quorum condemnatio manifesta fuit (Num. 16). Descenderunt enim in infernum vivi, et mors eos absorpsit. Pharao una cum exercitu suo, et omnes praefecti

Aegypti, currus etiam et consistentes in eis non aliam ob causam rubri maris profundo immersi sunt, et perierunt, quam quod stulta eorum corda, post tot signa et miracula ostensa per famulum Dei Moysen in terra Aegypti, indurata fuerint (Ex. 14).

52. Nullius rei, fratres, indigus est Dominus omnium; nihil a quoquam desiderat, praeterquam ut ipsi fiat confessio. Dicit enim electus David: *Confitebor Domino, et placebit ei super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas; videant pauperes et laetentur* (Ps. 68, 31—33). Et rursus dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis tuae, et eruam te, et glorificabis me* (Ps. 49, 14. 15). *Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus* (Ps. 50, 19).

53. Nostis autem, dilecti, et probe nostis sacras Scripturas, et penitius in divina eloquia introspexistis. Illa igitur in memoriam revocate. Cum Moyses in montem ascendisset, et quadraginta dies noctesque quadraginta in jejunio et humilitate transegisset, dixit ad eum Dominus: *Moyses, Moyses, descende velociter hinc, quia iniquitatem fecit populus tuus, quos eduxisti de terra Aegypti; transgressi sunt cito de via, quam man-*

dasti eis, et fecerunt sibi fusilia. Et dixit Dominus ad illum: Locutus sum ad te semel et iterum, dicens: Vidi populum hunc, et ecce, populus dura cervice est; sine me exterminare eos, et delebo nomen eorum sub coelo; et faciam te in gentem magnam et mirandam, et hac numerosiorem. Dixit autem Moyses: *Neutiquam Domine; remitte huic populo peccatum, vel etiam me dele de libro viventium* (Exod. 32, 7 sqq. Deut. 9, 12 sqq.). O charitatem magnam! O insuperabilem perfectionem! Famulus Dominum libere alloquitur, pro plebe remissionem postulat, vel seipsum una cum eis deleri petit.

54. Quis igitur inter vos generosus, quis misericors, quis charitate plenus? Dicat: Si propter me seditio et discordia et schismata orta sunt, discedo, abeo, quocunque volueritis, et quae multitudo jusserit, facio; solum Christi grex in pace degat cum constitutis presbyteris. Qui hoc fecerit, magnam sibi gloriam in Domino conciliabit, et omnis locus eum excipiet. *Domini enim est terra et plenitudo ejus* (Ps. 23, 1.). Haec facient, qui divinam, cujus nunquam poenitet, vitam vivunt.

55. Ut autem exempla gentium proferamus; multi reges et gubernatores pestifero

tempore saeviente, cum oraculo essent admoniti, morti se ipsos tradiderunt, ut suo sanguine cives liberarent. Multi, ne diutius seditio duraret, a civitatibus suis secesserunt. Multos etiam inter nos cognovimus, qui se ipsos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent. Multi in servitutem se ipsos addixerunt, et accepto pretio sui alios cibarunt. Multae mulieres gratia divina corroboratae virilia multa gesserunt. Beata Judith, cum urbs circumsessa esset, rogavit seniores, ut sibi liceret in alienigenarum castra exire; et periculo se objiciens propter amorem patriae populique obsessi egressa est, et tradidit Deus Olophernem in manus mulieris (Jud. 8). Non minus etiam perfecta in fide Esther, ut duodecim tribus Israel ab instanti exitio liberaret, periculo se ipsam objecit. Nam in jejunio et humiliatione precata est rerum omnium inspectorem Dominum, seculorum Deum; qui animi ejus humilitatem cernens populum liberavit, cujus gratia illa periculum subierat (c. 7, 8).

56. Oremus igitur et nos pro eis, qui in aliquod peccatum lapsi sunt, ut moderatio et humilitas eis concedatur, ut non nobis, sed voluntati divinae cedant. Sic enim misericors mentio eorum apud Deum et sanctos

fructuosa erit, et finem suum consequetur. Assumamus, dilecti, disciplinam, propter quam nemo irasci debet. Admonitio, qua alii alios commonefacimus, bona est et apprime utilis, voluntati enim divinae nos agglutinat. Sic enim dicit sacer sermo: *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* (Ps. 117, 18); *quem enim diligit Dominus, arguit; flagellat autem omnem filium, quem suscipit* (H r. 12, 6). *Corripiet enim*, ait, *me justus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatorum non impinguet caput meum* (Ps. 140, 5). Et rursus dicit: *Beatus homo, quem arguit Dominus; monitionem vero Omnipotentis ne renuas; ipse enim dolere facit, et rursus restituit; percussit, et manus ejus sanaverunt. Sexies de necessitatibus eruet te, et in septimo non tanget te malum. In fame liberabit te a morte, in praelio vero de manu ferri solvet te, a flagello linguae abscondet te, et non timebis a malis venientibus. Injustos et iniquos deridebis, et feroces bestias non timebis; bestiae enim ferae pacatae erunt tibi. Deinde scies, quod in pace erit domus tua, habitatio autem tabernaculi tui non deficiet. Scies autem, quod multum semen tuum, et li-*

beri tui erunt quasi omnis herba campi. Et venies in sepulchrum, tamquam frumentum maturum, quod in tempore messuerunt, vel sicut acervus areae, in tempore comportatus (Job 5, 17 ss.). Videtis dilecti, protegi eos, qui a Domino castigantur; cum enim bonus sit, castigat nos Deus, ut sancta ejus disciplina commonefiamus.

57. Vos igitur, qui seditionis fundamenta jecistis, in obedientia subditi estote presbyteris, et correptionem suscipite in poenitentiam, genua cordium vestrorum flectentes. Discite subjici, deponentes gloriosam et superam linguae vestrae arrogantiam; melius enim est in grege Christi parvos et bonae famae reperiri, quam nimis splendentes spe illius [Christi] ejici. Sic enim dicit sapientia omnem virtutem complectens: *Ecce, proferam vobis mei spiritus dictionem, docebo autem vos meum sermonem. Quoniam vocabam, et non obediistis, et extendebam verba et non attendistis, sed irrita fecistis mea consilia, et meis increpationibus rebelles fuistis; itaque et ego vestra perditione ridebo, gaudebo autem, cum venerit vobis interitus et quoties advenerit vobis subito tumultus, eversio autem similis procellae affuerit, vel cum venerit*

vobis tribulatio et oppressio. Erit enim, cum invocabitis me, ego autem non exaudiam vos; quaerent me mali, et non invenient. Oderunt enim sapientiam, timorem autem Domini non assumserunt, neque volebant meis attendere consiliis; subsannabant autem meas redargutiones. Ergo comedent viae suae fructus, et sua ipsorum impietate saturabuntur [1] *

58. Inspector omnium Deus, et Dominus spirituum et herus universae carnis, qui elegit Dominum Jesum Christum, et nos per eum in populum peculiarem, det omni animae, quae gloriosum et sanctum nomen ejus invocaverit, fidem, timorem, pacem, patientiam, aequanimitatem, continentiam, castitatem et pudicitiam, ut nomini ejus recte placeat, per summum sacerdotem et patronum nostrum Jesum Christum, per quem illi gloria, majestas, potestas, honor, et nunc et in secula seculorum. Amen!

59. Missos autem a nobis Claudium Ephebum et Valerium Bitonem cum Fortunato in pace cum gaudio ad nos brevi remittite, ut

---

[1]) Folium integrum hoc loco excidit. Forte nonnulla, quae ab antiquis e Clemente romano citata in epistola non leguntur, hic legebantur.

citius optabilem nobisque desideratissimam pacem et concordiam annuncient, ut et nos de statu vestro recte ordinato citius gaudeamus. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum et cum omnibus ubique vocatis a Deo et per ipsum; per quem illi gloria, honor, potentia, majestas et dominatio sempiterna, a seculis in secula seculorum. Amen!

Clementis ad Corinthios Epistola.

[1]) Graece *σὺν καὶ Φορτουνάτῳ*. Forsan legendum *σὺν Γαίῳ Φορτουνάτῳ*, nam Ephebo et Bitoni sunt data sua praenomina. Dav. Fortunatus idem esse videtur, qui a s. Paulo memoratur 1. Cor. 16, 17. Hefele.

EPISTOLA I.

SANCTI CORNELII PAPAE

ad

CYPRIANUM CARTHAGINENSEM EPISCOPUM[1]).

Qui confessores Maximus presbyter, Urbanus et Sidonius ejurarint schisma et in Ecclesia catholica suscepti sint.

Cornelius Cypriano fratri salutem.

1. Quantam sollicitudinem et anxietatem sustinuimus de iis Confessoribus, qui dolo

[1]) Cornelius s. Fabiano in cathedra romana succedens (a. 251) illam tenuit non multum ultra annum martyrio coronatus a. 252. sub Decio. Hic est primus pontifex post Clementem, cujus epistolae ad nos pervenerint. Ex tribus, quae supersunt, duas hic secundum Coustantii editionem exhibebimus, quarum prior s. Cypriano est inscripta. Narrat autem in ea s. Cornelius, quomodo confessores (qui scil. pro fidei confessione jam carcerem aliaque perpessi erant) Maximus presbyter, Urbanus et Sidonius, qui prius adhaeserant Novatiano aemulo suo et schis-

et malitia hominis callidi et veteratoris fuerant circumventi, et pene decepti, et ab Ecclesia alienati; tanta laetitia affecti sumus, et Deo omnipotenti et Christo Domino nostro gratias egimus, cum ii cognito suo errore, et intellecta hominis maligni, velut serpentis, astutia venenata, ad Ecclesiam, unde exierant, sicuti ipsi ex suo corde profitentur, simplici voluntate venerunt. Et primo quidem fratres nostri probatae fidei, amantes pacem, unitatem optantes, tumorem illum horum mollitum jam annunciabant: fides tamen non idonea, ut facile nobis credere daretur, illos penitus esse mutatos. Postea vero Urbanus et Sidonius confessores ad presbyteros nostros venerunt, affirmantes Maximum confessorem et presbyterum secum pariter cupere in Ecclesiam redire; sed quoniam multa praecesserant ab eis designata [1]), quae tu quoque a [2])

---

matis auctori (quod in romanum electus non fuisset episcopum), ad Ecclesiae unitatem redierint. Novatianum autem tacito nomine designat *hominis callidi* et *veteratoris*, mox *hominis maligni* vocabulis.

[1]) Id est, patrata et confecta. Quocirca confessores mox a presbyteris rogati esse dicuntur de iis, *quae gesserant.*

[2]) Corb. ms. *coepiscopo nostro.* Retinendum *coepiscopis nostris*, qui scil. conventibus aut conciliis ea de causa congregatis interfuerant. Quippe initio

coepiscopis nostris et literis meis cognovisti; ut non temere eis fides haberetur, ex ipsorum ore et confessione ista, quae per legationem mandaverant, placuit audiri. Qui cum venissent, et a presbyteris quae gesserant exigerentur; novissime quod per omnes ecclesias literae calumniis et maledictis plenae eorum nomine frequentes missae fuissent, et pene omnes ecclesias peturbassent; circumventos se esse affirmaverunt, neque in istis literis quid inesset scisse: tantummodo circumductos se commisisse quoque schismatica, et haeresis auctores fuisse; ut paterentur ei [1]) manus quasi in episcopum imponi. Qui, cum haec et cetera fuissent exprobrata, ut abolerentur et de memoria tollerentur, deprecati sunt.

2. Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium [2]) (adfuerunt etiam

---

pontificatus Cornelii, teste Eusebio lib. 6. c. 43. sexaginta episcopi, et presbyteri ac diaconi multo plures, cum in unum convenissent, Novatianum eique adhaerentes condemnarunt. Saltem vero hic notantur Pompejus ac Stephanus afri episcopi, qui Cornelii ordinationi interfuerant.

[1]) *Ei* i. e. Novatiano.

[2]) *Contrahi presbyterium* i. e. convocare, congregare clerum Ecclesiae romanae, qui *presbyterium* a nobiliori parte dicebatur.

episcopi quinque, qui et hodie praesentes fuerunt), ut firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur. Et ut motum omnium et consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri perferri, quas et subjectas leges. His ita gestis in presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius et plerique fratres, qui eis se adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea quae ante fuerant gesta in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur; proinde atque si nihil esset vel commissum vel dictum, invicem omnibus remissis, cor mundum et purum jam Deo exhiberent, sequentes evangelicam vocem dicentem, beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut et ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes et palabundos jam diu viderant et dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos, quasi hodie poena carceris fuissent liberati. Et ut ipsorum propria verba designem: „Nos, inquiunt, Cornelium epi-

scopum sanctissimae catholicae Ecclesiae electum a Deo omnipotente et Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus, circumventi sumus perfidia et loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in catholica [1]) Ecclesia esse debere." Ista eorum professione non moveremur, ut quod apud potestatem seculi erant confessi, in Ecclesia constituti comprobarent? Quapropter Maximum presbyterum locum suum [2])

---

[1]) Exemplar Colb. *in Catholica esse*, omisso verbo *Ecclesia*, quod et in corb. nonnisi secundis curis adjectum est. Sed neque antiquis insolens est Ecclesiam catholicam solo *Catholicae* vocabulo enunciare. Confessorum professioni similis est ista Cypriani epist. 40. seu 43. ad plebem suam: *Deus unus est, et Christus unus et una Ecclesia, et una cathedra super Petrum voce Domini fundata.* Et id quidem scribit Cyprianus, ut eos, qui Felicissimi factioni adhaerebant, extra Ecclesiam esse probet. Quo igitur pacto ii, qui a Petri cathedra divulsi sunt, in Ecclesia esse se confidant?

[2]) Hoc est, presbyteri honore atque gradu servato

agnoscere jussimus: ceteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata.

3. Haec igitur, frater, eadem hora, eodem momento ad te scripta transmisimus, et Nicephorum acolythum descendere ad navigandum festinantem, de statione [1]) ad vos statim dimisi; ut nulla procrastinatione habita, velut praesens in isto clero et in isto populi coetu, Deo omnipotenti et Christo Domino nostro gratias ageres. Credimus autem fore, quin imo jam pro certo confidimus, ceteros quoque, qui in hoc errore sunt constituti, in Ecclesiam brevi reversuros, cum [2]) auctores suos viderint nobiscum agere. Has literas puto te debere, frater, et ad ceteras ecclesias mittere: ut omnes sciant schismatici hujus et haeretici dolum et praevaricationem de die in diem evacuari. Bene vale, frater carissime.

---

receptus est. Hoc exemplo et nicaeni patres can. 8. novatianis, et afri in collatione carthaginensi donatistis ad Ecclesiam redeuntibus suos honores concesserunt.

[1]) Hoc est, de praedicto cleri populique coetu.

[2]) Id est, quorum potissimum auctoritate in schisma abducti fuerant, et in eo detinebantur.

EPISTOLAE II.

S. CORNELII PAPAE AD FABIUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM FRAGMENTA.

De Novatiani ingenio et moribus[1]).

1. Ut autem scias, qualiter admirandus

[1]) Fragmenta ista Eusebius l. 6. hist. eccl. c. 43. nobis asservavit, hoc eis praemisso prooemio: „Exstant adhuc epistolae Cornelii romanorum episcopi ad Fabium antiochenae ecclesiae praesulem missae, in quibus et romanae synodi gesta et omnium per Italiam et Africam aliasque locorum illorum provincias sententiae declarantur. Aliae praeterea latino sermone conscriptae exstant epistolae Cypriani et aliorum antistitum, qui cum ipso in Africa congregati sunt. Ex quibus colligitur ipsis etiam pla-

ille[1]) dignitatis episcopalis cupiditate jampridem incensus, et temerariam atque effrenatam illam ambitionem suam intra se tegens latuit, dum hoc vesaniae velamentum obtendit, quod confessores ab initio secum habuisset, volo enarrare. Maximus nostrae ecclesiae presbyter et Urbanus egregiam ex

cuisse, ut subveniretur iis, qui in tentationem inciderant (qui scil. persecutionis tempore lapsi erant), utque auctor nefariae opinionis (Novatianus) simul cum iis, qui ad partes ipsius desciverant, ab Ecclesiae catholicae consortio merito abdicaretur. His adjuncta erat alia ejusdem Cornelii epistola de his, quae in synodo decreta fuerant · et rursus alia de factionibus Novati (lege hic et infra *Novatiani*, quem scriptores graeci passim cum *Novato* illius aequali, pariterque schismatis auctore sed afro confundunt), ex qua nihil obstat, quominus his aliqua inseramus, ut historiae nostrae lectores ea, quae ad Novatum pertinent, perspicue cognoscant. Igitur Cornelius Fabium docens, cujusmodi ingenio ac moribus fuisset Novatus, ita scribit (sequitur dein epistolae textus)." Cum autem vel haec fragmenta hujus epistolae deperditae res scitu dignissimas complectantur, illorum saltem versionem, quam Coustantius adornavit, exhibebimus.

[1]) Novatianus scil., qui post s. Fabiani martyrium romanam sedem ambiverat, et cum pro ipso electus esset Cornelius, schismatis exstiterat auctor. Cf. Ambrosium de poenitentia l. 1. n. 85. cum annot. subjecta opusc. t. 5. p. 52.

iterata confessione gloriam adepti, Sidonius quoque et Celerinus, vir qui cuncta tormentorum genera per Dei misericordiam fortissime sustinuit, et fortitudine fidei suae infirmitatem carnis roborans, adversarium penitus devicit: hi igitur viri cum cognovissent illum, et fraudem ejus ac versutiam, necnon perjuria et mendacia, atque a societate et communione abhorrentem ejus animum et lupinam consuetudinem deprehendissent, ad sanctam Ecclesiam reverterunt: cunctasque illius praestigias et flagitia, quae jam pridem intra se occultans reprimebat, praesentibus aliquot episcopis, ac presbyteris et laicis quam pluribus evulgarunt ingemiscentes et dolentes, quod a fraudulenta et maligna illa bestia inducti, ad modicum tempus ab Ecclesia defecissent [1]).

2. *Deinde post pauca ait*: Vix credibile est, frater carissime, quantam in eo varietatem ac mutationem brevi temporis spatio factam conspexerimus. Nam egregius ille, qui tremendis quibusdam sacramentis fidem fecerat, sese episcopatum nequaquam concupiscere, repente episcopus tamquam ex

[3]) Cf. praecedentem epistolam, in qua haec pluribus narrantur.

machina aliqua in medium projectus apparet. Nempe ille dogmatum conditor atque ecclesiasticae disciplinae propugnator, cum episcopatum sibi a Deo minime concessum praeter fas arrogare atque subripere conaretur, duos sibi socios deploratae salutis delegit, quos in exiguam atque vilissimam Italiae partem destinaret: ut inde accitos episcopos tres, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, affirmans atque constanter asseverans, ipsos quam primum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia ipsorum una cum aliis episcopis interventu sedaretur. Qui cum advenissent, homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum artibus ac fallaciis satis triti, eos ille a quibusdam sui similibus, quos ad id comparaverat, inclusos, hora decima temulentos et crapula oppressos, imaginaria[1]) quadam et vana manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim cogit: eumque, cum nullo sibi competat jure, per insidias atque fraudem vindicat. Nec multo post

[1]) Hoc est, quae impositionis manuum quandam potius imaginem (propter omnia adjuncta hic recensita) prae se ferret, quam veritatem.

unus ex illis episcopis ad Ecclesiam rediit, cum lamentis et fletibus peccatum suum confitens. Quem nos, cum universus populus praesens deprecatus esset, ad communionem laicam suscepimus [1]). Reliquis etiam [duobus] episcopis successores ordinavimus, eosque in loca illorum misimus.

3. Ille ergo Evangelii vindex ignorabat [2]) unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica, in qua non ei latebat (quomodo enim latere posset?) presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas cum thlibomenis [3])

---

[1]) *Ad communionem laicam suscepimus*, *ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ* i. e. deposuimus et in laicorum ordiuem redegimus, ut scil. inter laicos communicaret: nulla amplius munera sacerdotalia obiret, sed laici instar esset.

[2]) Ita probata ac pervulgata erat haec regula, ut Confessores ad Ecclesiam redeuntes in superiori epistola n. 2. illam tamquam rem omnibus notam et quam nulli ignorare liceat, profiteantur. Sic et Cyprianus in epistola 52. ad Antonianum n. 7. ubi Cornelium legitime ordinatum esse multis probavit, addit demum: *Cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est.*

[3]) *Thlibomenis θλιβομένοις.* Retinet hanc vocem

plus mille quingentas. Quibus universis Domini gratia et benignitas alimenta suppeditat. Neque tamen tanta tamque necessaria in Ecclesia multitudo, tam ingens numerus divinae providentiae copiis opulentus et abundans, cum immenso atque innumerabili populo, ab hujusmodi desperatione et audacia eum deterruit, et ad Ecclesiam revocavit.

4. *Rursum et aliis interjectis haec addit.* Agedum, exponamus deinceps, quibus operibus quibusve vitae institutis episcopatum ambire ausus sit. Num propterea quod ab initio [1]) vitam in Ecclesia exegerit, et multa pro ipsa certamina subierit, atque in multis magnisque periculis religionis causa fuerit? Minime vero quippe cui fidei suscipiendae occasio fuit satanas in illum ingressus, ac diu in ipso commoratus. Qui quidem cum ei ab exorcistis subveniretur, in morbum

---

Coustantius in sua versione, eo quod ea utatur etiam Clerus romanus in ep. ad clerum carthag. scribens: „Sive viduae sive thlibomeni, qui se exhibere (alere) non possunt, utique habere debent, qui eis ministrent.“ Significantur ea *indigentes*.

[1]) Illud *in Ecclesia* perinde est atque in Ecclesiae ministerio. Nec aliud sonare mihi videtur *ab initio*, atque ab ineunte aetate et ab infantia.

gravissimum collapsus, ita ut jamjam moriturus existimaretur; in ipso lecto, in quo jacebat, perfusus [fidem [1])] suscepit: si tamen homo hujuscemodi suscepisse dicendus est[2]). Sed neque postquam liberatus est a morbo reliqua percepit, quae secundum regulam Ecclesiae percipienda sunt, neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere [3])?

---

[1]) In graeco nihil est, quod *fidei* vocabulo respondeat. Ejus loco Valesius post Christophorsonum supplevit *baptismi* nomen.

[2]) De hujusmodi baptismo revera dubius haerebat Magnus, qui s. Cyprianum consuluit: „Quod ipsi de illis videretur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi." Non tamen idcirco videtur dubitare Cornelius, quia Novatianus baptismum per aspersionem, non per immersionem susceperat, sed eam ob causam, ob quam neocaesariense concilium c. 12. hujusmodi hominem presbyterii honore indignum judicat „quia videlicet hujus fides non est ex libera voluntate, sed ex necessitate" *οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης.* Eo autem aequior fuit Cornelii dubitatio, quod Novatianus a morbo convalescens, quae sibi deerant, supplere neglexerit. Cf. **Coustantius** in h. l.

[3]) Hisce verbis praeclarum pro *confirmationis sacramento* testimonium continetur, eoque majoris mo-

8. *Et iterum aliquando post dicit.* Qui persecutionis tempore prae metu ac nimio

---

menti, quod de eadem tamquam de re notissima, quaeque ubique vigeret, loquatur. Quibus adde verba Tertulliani de bapt. c. 8. (opusc. t. 7. p. 159 s.); Cyrilli hieros. cat. mystag. 3. (ib. p. 120 ss.), qui adeo clare de hoc sacramento loquitur, ut illud propterea Chemnitius (ap. Bellarm. de confirm. c. 1. n. 6) vocaverit *chrisma cyrillianum.* Expendantur dein verba aequalium s. Cornelii, scil. s. Cypriani et auctoris l. *de rebaptismate,* quorum primus scribit ep. 73. de baptizatis in Samaria (Act. 8, 14) a Philippo: „Quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus s. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum s. consequantur et signaculo dominico consumentur." Hinc ep. synodica ad Stephanum (72.) contendit „parum esse eis (qui extra Ecclesiam baptizati sunt, si redeant) manum imponere ad accipiendum Spiritum s., nisi accipiant et Ecclesiae baptismum. Tunc enim demum plene sanctificati et esse filii Dei possunt, si *sacramento utroque* nascantur." Quae repetit ep. 73. pariterque inculcat Nemesianus a Thubunis in conc. carthag. III. sub Cypriano cap. 5. Alter vero ita habet: „Per manus impositionem episcopi datur unicuique credenti Spiritus s., sicut apostoli circa samaritanos post Philippi baptisma manus eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum s. in eos contulerunt." Praeclarissima vero sunt s. Hieronymi verba, quibus

vitae amore presbyterum se esse negavit. Admonitus enim ac rogatus a diaconis, ut

---

simul ostenditur, quam antiqua sit episcoporum consuetudo lustrandi dioecesim suam confirmandi oves gratia. Ita enim scribit dial. adv. luciferianos n. 9: „Hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus a presbytero et diacono baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus s. manus impositurus excurrat.“ Nec spernenda verba Pseudo-Clementis ep. 4. ad Julium et Julian. (Migne patrol. gr. 1, 505): „Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci Deo et demum consignari ab episcopo i. e. septiformem gratiam Spiritus s. percipere, quia incertus est exitus vitae. Cum autem regeneratus fuerit per aquam et postmodum septiformi Spiritus gratia ab episcopo confirmatus etc.“ Praetermissis vero Innocentii ep. ad Decentium c. 3. (cf. infra) aliorumque patrum verbis, quae diligenter collegerunt Nat. Alexander diss. 10. in sec. 2., Witasse de sacr. confirm. aliique, unum adhuc Augustinum audiamus l. 2. c. liter. Petil. c. 194. scribentem: „In hoc unguento (Ps. 132, 2) sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est *sicut Baptismus*.“ Ex quibus omnibus manifesto colligitur, confirmationis ritum tum creditum fuisse efficacem gratiae proinde verum N. legis sacramentum. Neque mirum cum id adeo evidenter in divinis literis tradatur, ut mirum sit a quopiam fuisse negatum. Sane expensis iis, quae habentur Act. 8, 14 ss. et 19, 5 s. evidentur colligimus 1) manuum impositionem, de qua l. c. est sermo, ritum fuisse distinctum a baptismo: imponeb-

e cubiculo, in quo se ipsum incluserat, egressus fatribus succurreret, quantum presbytero liceret ac fas esset fratribus in periculo constitutis et auxilio indigentibus subvenire:

---

antur enim manus jam baptizatis; hanc 2) manuum impositionem fuisse efficacem gratiae, nam per illam conferebatur Spiritus s.; eam 3) habitam non fuisse ut indifferentem, nam ad imponendas manus apostolorum princeps cum Joanne in Samariam se contulit, illuc propterea certo non iturus cum aliis occupationibus esset obrutus, nisi ritus hic institutionis esset divinae. Tantae vero 4) hic ritus erat praestantiae et dignitatis, ut non quilibet illius esse posset minister, neque is semper, qui baptismum administraverat, sed illi tantum, qui in Ecclesia excellerent: hinc Act. 19, 5 s. tacetur quidem qui ephesios illos baptizavit, disserte vero narratur Paulum ipsum manus imposuisse. Ritum autem hunc 5) non fuisse ad tempus tantum in Ecclesia celebrandum, sed semper frequentandum credidit semper christiana antiquitas, ut ex testimoniis allatis liquet ac clare testatur Augustinus de Trin. 15. n. 46., cum respiciens ad Act. 8, 14 ss. scribit: „Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia.“ Quare cum ritus a Christo institutus, efficax gratiae et perpetuo in Ecclesia celebrandus sit verum sacramentum, *confirmatio omnino credenda est sacramentum.* Quibus si addas et praescriptionis argumentum consensionemque vel orientalium, qui jam diu dirissimo schismate se ab Ecclesia romana sejunxerunt, coecus esse oportet qui confirmationis ritui sacramenti dignitatem detrahere nititur.

tantum abfuit ut rogantibus diaconis morem gereret, quin potius indignabundus abiit ac discessit. Neque enim presbyterum se amplius velle esse respondit: sed alterius philosophiae amore ac studio teneri.

6. *Paucis autem transcursis, haec rursum adjungit dicens:* Nam praeclarus ille vir Ecclesiam Dei dereliquit, in qua post susceptam fidem [1]) presbyterio cohonestatus est per gratiam et indulgentiam episcopi, qui imponens ei manum ad presbyterii ordinem eum provexit. Intercedebat omnis clerus, et multi ex laicis, eo quod non liceret eum, qui quemadmodum et ille in lectulo urgente morbo perfusus fuisset, in clerum[2])

---

[1]) Post susceptam fidem, *ἐν ᾗ πιστεύσας*, de fide conjuncta cum baptismo est sermo, quo suscepto fidelis quis haberi atque dici coepit. Hinc vertit Valesius: post susceptum baptismum.

[2]) Hoc est, *in aliquem cleri gradum.* Nam *clerum* pro cleri gradu a Cornelio usurpari, ex proximis illius verbis, *εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον* liquet. Disciplinae hujus severitatem aliquanto post Cornelii aevum temperavit neocaesariense concilium, hominem in lecto perfusum non ab omni cleri gradu, sed a presbyterio dumtaxat excludens; imo eum etiam ad hunc gradum provehi permittens *propter consequens ejus studium et fidem hominumque raritatem.*

aliquem assumi. Verum rogavit episcopus, ut eum unum ordinare sibi permitteretur.

7. *Deinde aliud adjungit facinus omnium, quae ab illo commissa sunt, longe gravissimum, ita dicens:* Etenim oblationibus factis [1]) portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus manibus suis comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint (ipsis enim utar illius verbis): Jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam partes meas deserturum, nec ad Cornelium amplius esse rediturum. Et miser homo non prius gustat, quam sibi ipse malum imprecatus sit. Et cum panem illum accipiens dicere debuisset, Amen; ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.

8. *Et post alia rursum haec dicit:* Jam vero scias illum nudatum ac desertum esse, fratribus eum quotidie derelinquentibus, et

---

[1]) *Oblationibus factis. Ποιήσας γὰρ τὰς προσφορὰς και διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος.* Respiciens ad distributionem faciendam ex oblationo seu sacrificio, loquitur numero plurali *oblationes*, vel etiam quia singuli accipiebant id, quod ipsi in sacrificio offerendum et consecrandum antea contulerant.

ad Ecclesiam redeuntibus. Quem etiam Moyses beatus martyr, egregio et admirando martyrio nuper apud nos perfunctus, dum adhuc superstes esset, audaciam et amentiam ejus perspectam habens, a communione sua separavit una cum quinque presbyteris, qui se pariter cum illo ab Ecclesia segregarant[1]).

---

[1]) *De reliqua epistola Eusebius istud dumtaxat summatim subnectit*: „Sub finem autem epistolae catalogum texuit episcoporum, qui Romam convenientes, amentiam Novati (*leg.* Novatiani) condemnaverant, nomina quoque illorum et quam quisque regebat ecclesiam adscribens. Eorum item, qui Romae quidem minime adfuerant, superiorum tamen sententiam suffragio suo approbaverant, vocabula et civitates, unde singuli literas dederant, accurate commemorat.

MONITUM

IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Ad pleniorem epistolae hujus notitiam ea, quae praecesserunt gesta, paucis recolere juverit. Primo quidem inter Mareotae presbyteros, quos cum aegyptia synodo Alexander alexandrinus antistes de presbyterii gradu circa Christi annum 320. dejecit, quidam erat Pistus: quem licet cum mox dictae synodi judicio, tum mareoticorum alexandrinorumque clericorum subscriptione damnatum, ac praeterea anno 325. ab Ecclesia nicaeni concilii sententia expulsum eusebiani tamen circa annum 339. ne suus arianis Alexandriae episcopus deesset, urbis hujus praesulem constituerunt. Tum ad Julium destinati sunt ab iis Macarius presbyter, Martyrius et Hesychius diaconi, cum literis in gratiam Pisti adversus Athanasium, ac forte etiam adversus Marcellum Ancyrae, et Asclepam Gazae episcopos conscriptis. Ab Eusebio, qui Beryto Nicomediam,

et inde Constantinopolim contra legem migraverat, literas illas scriptas esse Athanasius apolog. cont. Arian. n. 1. tradit. Julius vero epist. 1. n. 8. sic eas ab illo scriptas innuit, ut paucos secum in iis scribendis socios adhibuerit. Interea legatis Athanasii Romam accedentibus Macarius presbyter ab iis convinci metuens, clam aufugit. Tum qui supererant eusebianorum legati, Martyrius videlicet atque Hesychius, cum Athanasii presbyteris congressi, eis resistere cum non valuissent, synodum convocari petierunt. Qua de re tum convenit inter partes. Quocirca Julii literis accersitus Athanasius, statim Romam se contulit. Post ejus autem adventum Julius ad eusebianos per presbyteros suos Philoxenum et Elpidium misit literas, quibus eos praestituto die ad synodum vocabat. Verum eusebiani legatos illos, ut Athanasius epist. ad Monachos n. 11. narrat, ultra condictum synodi diem, hoc est, ut habet Julius infra n. 6. *usque ad mensem Januarium* anni 342. detinentes, eos tandem cum literis ad Julium dimiserunt.

2. Hic in literis expostulabant, quod Julius secum contumeliose ageret, utpote quos (num. 2) de rebus a se definitis rationem reddituros ad suam ipsius synodum vocaret; obtendebantque (num. 3) firmam esse debere cujuslibet synodi auctoritatem: et injuriam judici fieri, cum ejus

judicium ab alio examinatur. Inde ad ea (num. 5) provocabant, quae Novati, seu Novatiani, ac Pauli Samosateni gesta sunt temporibus, quibus, ut ipsi volunt, et Orientales Occidentalium de Novato, seu Novatiano, et Occidentales Orientalium de Paulo Samosatensi judicio steterunt. His addebant (Ibid.) parem, imo eumdem esse episcoporum honorem, neque dignitatem illorum ex civitatum magnitudine metiendam esse. Romam, quo invitati erant, venire detrectantes, hoc (num. 6) sibi neque praefiniti temporis angustia, neque rerum Orientalium statu, hoc est persarum bello, permitti praetexebant. Simul et inde moveri se (num. 3) significabant, quod Julius solus soli Eusebio ac paucis ejus sociis, non sibi omnibus literas inscripsisset. Maxime vero eidem papae, quod Athanasium ac Marcellum, de quo (num. 16) *ut impio erga Christum* scribebant, communione sua donasset, crimini (num. 9. et 20) vertebant, eique, quasi partium studio teneretur, ajebant: *Marcelli et Athanasii communionem potius cooptatis, quam nostram.* Inter haec non deerant quidem testimonia, quibus Julium honorare (num. 1) videbantur; sed hunc honorem fictum ac minime sincerum esse adjuncta, quibus eundem (num. 5) *discordiae* flammam accendisse conviciabantur, persuadebant.

3. Hujusmodi literas cum accepisset Julius, veritus ne si publicae fierent, tanta protervia offenderentur cuncti, eas apud se tam diu retinuit, quam diu spes erat fore, ut eusebianorum saltem nonnulli ad ipsum venirent. At id ubi desperare prorsus coepit, tum demum in loco, in quo presbyter Vito conventus agebat, congregata synodo has in medium protulit literas, eisque rescribendi provinciam sibi ab ipsa synodo, quae plus quinquaginta episcopis constabat, demandatam suscepit. Temporis quo rescripsit, ex eo quo Athanasius Romam se recepit, notitia pendet. Is enim praesul, cum subnexa epistola scripta est, jam ab octodecim mensibus adversarios suos Romae exspectare infra num 13. dicitur. Atqui Alexandria necdum discesserat, cùm Gregorius e concilio Antiochiae anno 341. in Encaeniis habito in eam civitatem missus, et in ipsius locum, quod proxime ante diem festum Paschae contigit, per summam vim intrusus est. Tunc primum contendit Athanasius Romam; quo sane citius mense Maio pervenire non valuit. Si igitur ab hoc mense numerare incipiamus alios octodecim, quibus Athanasius in Urbe antea remansisse memoratur; sequetur ut subjecta epistola mense Septembri anni 342. aut circiter consignanda sit. Iis inscripta est, qui Antiochiae in unum collecti ad Julium scripserant. Ejusdem synodi,

et literarum inde scriptarum Socrates lib. 2. c. 12. et Sozomenus lib. 3. cap. 8. meminerunt: sed in hoc aberrasse videntur a vero, quod in eam Orientales convenisse innuunt, non ut iis Julii literis, quibus ad synodum romanam vocabantur, sed iis potius, quibus quod vocati non venissent, arguebantur, hoc est, subnexae epistolae rescriberent. Haec per Gabianum Comitem missa, sed Eusebio reddi minime potuit. Eum enim paulo post concilium Antiochiae celebratum, et antequam Julii sententiam rescivisset, mortem oppetiisse Socrates lib. 2. c. 12. et Sozomenus lib. 3. cap. 7. tradunt. Ipsis suffragatur et Athanasius, qui postquam in apologia contra arianos a numero 21. ad 36. epistolam istam totam descripsit, in ipso numero 36. subjicit: *Interim Eusebius obiit.* Hactenus Coustantius.

4. Haec est prima hujus pontificis epistola, quae ad nos *integra* pervenit, ex qua *refulget* ejus in universam Ecclesiam primatus; non quasi hoc primum tempore is inceperit, sed quod priorum pontificum, literae si unam alteramve excipias, exciderint. Sed vel harum, quae exciderunt fragmenta vel memoria, quam nobis conservarunt veterum scriptores, sufficienter nobis hunc primatum testantur, et si literae tacent, loquuntur facta, ut in praefatione vidimus. Propter hanc epistolae praestantiam et momen-

um non licuit nobis eam proetermittere, licet tantum ejus versionem exhibeamus. Vere enim apostolicus in ea relucet animus, quo episcopos eosque numero plurimos, auctoritate in aula potentes tam libere tamque graviter reprehendit, zelus intrepidus, quo canones disciplinamque tuetur ecclesiasticam; sollicitudo omnium ecclesiarum, quae praesulum injuste depositorum causam agit, atque ecclesiarum pacem procurare satagit. Porro Julius in romanum episcopum post Marcum ordinatus fuit 6. Febr. 337. atque 12. Apr. 352. ad superos migravit.

EPISTOLA I. JULII.

Julius Danio, Flacillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro, et sociis eorum, qui Antiochia nobis scripsere, dilectis fratribus in Domino salutem.

1. Legi literas a presbyteris meis Elpidio et Philoxeno mihi allatas, miratusque sum, cum nos ex dilectione et veritatis conscientia scripserimus, a vobis contentiose, nec ut decebat rescriptum esse. Superbia enim et arrogantia scribentium per epistolam sese prodebat: haec autem a christiana fide aliena sunt. Decebat enim, quae cum dilectione scripta erant, parem cum dilectione, et non cum contentione, responsionem obtinere. Anuon caritatis indicium est, presbyteros misisse qui cum dolentibus condolerent, et eos qui scripserant adhortarentur ut venirent, quo quam primum omnia tandem componi ac recte constitui valerent, nec

diutius fratres nostri vexarentur, nec vos quidam criminarentur? Sed nescio cur sic affici vobis placuerit, ut nos induxeritis ad suspicandum, quae vos verba nos honorandi causa dicere videbamini, haec ipsa cum quadam dissimulatione et irrisione dixisse. Presbyteri namque qui missi sunt, quos cum gaudio redisse oportebat, contra moesti rediere ob ea, quae illic geri conspexerant. Ego vero postquam literas legi, cum multa mecum reputassem, epistolam apud me retinui, sperans vestrum saltem aliquos esse venturos, nec epistola opus fore: ne si illa manifesta fieret, multos hic contristaret. Quandoquidem autem, nullo adveniente, necesse fuit illam proferre; fateor vobis, omnes admiratione capti vix induci potuerunt, ut crederent res hujusmodi a vobis esse scriptas: contentionis enim magis, quam caritatis epistola illa specimen prae se ferebat. Quod si eloquentiae ostentandae causa qui epistolam dictavit ita scripserit [1]), aliorum sane est hujusmodi institutum. In rebus enim ecclesiasticis non ostentatio eloquentiae quaerenda est, sed canones apostolici; ac studendum,

---

[1]) Seu *ad alia negotia pertinet*; utrumque enim permittit vox graeca.

ut ne unus quidem ex pusillis, qui in Ecclesia sunt, scandalizetur. Expedit enim, secundum ecclesiasticam sententiam, molam asinariam suspendi a collo, et ita in mare demergi potius, quam vel unum ex pusillis scandalizare. Quod si aliquibus mutua quadam simultate exacerbatis (non enim talem omnium mentem fuisse dixerim) istiusmodi epistolam scribi placuit; decebat quidem vel omnino non offendi, vel solem non occidere super offensa; hanc certe eo progredi non oportuit, ut scripto declararetur.

2. Quid enim actum est dignum querela: aut quibusnam epistolae meae dictis vobis succensendum fuit? an quia hortati sumus, ut ad synodum accederetis? Atqui illud cum gaudio potius excipiendum fuit. Quibus enim est de rebus a se gestis aut, ut ipsi ajunt, judicatis fiducia, ii non indigne ferunt, si ab aliis judicium suum examinetur; sed pro certo habent ea, quae ipsi juste judicarunt, injusta nunquam fieri valere. Quocirca episcopi in magna synodo [1]) Nicaena con-

---

[1]) Baronius aliique hic aliquod notari arbitrantur nicaenum decretum, quod desideretur. Ex quo et confici putant, praeter receptos viginti canones, etiam alios in nicaena synodo fuisse prolatos. Quid tamen vetat, quominus Julius hic respicere intelligatur ad

gregati, non citra Dei consilium, prioris synodi acta in alia synodo disquiri permiserunt, ut qui judicarent, prae oculis habentes secundum futurum esse judicium, cum omni cautela rem expenderent; et qui judicarentur, crederent se non ex priorum judicum odio et inimicitia, sed ex aequitatis praescripto judicatos esse. Quod si hujusmodi consuetudinem, antiquam sane in magna synodo memoratam descriptamque, apud vos valere nolitis, indecora fuerit ejusmodi recusatio.

---

quintum ejusdem concilii canonem, quo sancitur, ut si quis ab episcopo proprio ejectus fuerit, ab aliis non recipiatur, donec ejus causa in provinciae synodo examinetur; tum vero si justam episcopi sententiam synodus approbaverit, ille segregatus apud omnes habeatur, *donec episcoporum congregationi videatur humaniorem pro eo proferre sententiam?* His quippe postremis verbis nicaeni patres alteri episcoporum congregationi abrogationem sententiae, quae a priori synodo dicta fuerat, adeoque et ejus recognoscendae potestatem videntur permittere. Notum ac pervulgatum est illud Augustini lib. 2. de baptismo cont. Donat. c. 3.: *Ipsa concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento verum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat.* Coustantius.

Morem namque, qui semel in Ecclesia obtinuit, et a synodis confirmatus est, minime decet a paucis abrogari. Alioqui neque jure in hoc indignati videantur. Nam qui a vobis Eusebianis cum literis missi sunt, Macarius videlicet presbyter ac Martyrius et Hesychius diaconi, huc advenientes cum non valerent presbyteris Athanasii, qui huc se contulerant, obsistere, sed in omnibus refutarentur atque convincerentur, tum a nobis id postularunt, ut synodus indiceretur, literaeque ad Athanasium episcopum Alexandriam, necnon ad Eusebianos mitterentur, ut coram omnibus justum posset proferri judicium: tum enim se omnia contra Athanasium allata crimina probaturos promisere. Publice namque a nobis Martyrius et Hesychius convicti sunt: et presbyteris Athanasii Alexandriae episcopi cum fiducia obsistentibus, Martyrius et socii, ut vere dicam, in omnibus refutabantur; hincque factum est, ut synodum coacti sint postulare. Si igitur Martyrio et Hesychio nullam synodum postulantibus auctor ego fuissem, ut ii qui scripserant defatigationis molestiam subirent fratrum nostrorum gratia, qui se injuriam passos conquerebantur; hoc etiam in casu aequa et justa fuisset adhortatio, quippe quae

ecclesiastica sit et Deo grata. Jam vero cum iidem, quos vos ipsi Eusebiani fide dignos censuistis, nos rogarint ut synodus convocaretur; decuit vocatos non indigne ferre, sed potius alacriter occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hoc iniquo animo ferre visi sunt, proterva est: detrectatio vero eorum qui venire noluerunt, inhonesta et suspecta hinc deprehenditur. Aliquisne reprehendit, si quae probat cum ipse facit, ab alio fieri videat?

3. Si enim, ut scribitis, quaelibet synodus firmam habet auctoritatem, et contumeliose agitur cum judice, si ejus judicium ab alio examinetur: considerate dilecti, quinam sint qui synodum inhonorant, et quinam ea, quae ab aliis prius judicata sint, rescindant. Et ne singulorum acta expendens, quosdam gravare videar, sane quod postremo gestum est, cum sit horrendum auditu, sufficit ad cetera, quae a me omittuntur, comprobanda. Ariani a beatae memoriae Alexandro quondam Alexandriae episcopo ob impietatem ejecti, non solum a singulis civitatibus expulsi sunt, sed et ab omnibus pariter, qui ad nicaenam magnam synodum simul convenerant, anathemate sunt damnati. Non enim leve erat eorum scelus: nec in hominem, sed in ipsum

Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei viventis peccaverant. Attamen qui a toto terrarum orbe rejecti fuerant, et apud universam Ecclesiam infamati, nunc recepti dicuntur; quod et vobis audientibus indigne ferendum existimo. Quinam igitur sunt qui synodum dedecore afficiunt? nonne qui trecentorum episcoporum suffragia pro nihilo habent, et impietatem pietati anteponunt? Et Ariomanitarum quidem haeresis ab omnibus ubique episcopis convicta et condemnata est: Athanasius vero et Marcellus episcopi plures habent, qui ipsos verbis scriptisque defendunt. Nam de Marcello nobis testimonium [1]) perhibuere, quod in nicaena synodo arianis obstiterit. De Athanasio autem testes dixerunt, eum nec Tyri convictum, nec in Mareote, ubi monimenta adversus illum adornata esse dicitur, praesentem fuisse. Scitis autem, dilecti, quae ab una solum parte aguntur, nullam vim habere, sed suspecta esse. Nos tamen, quamquam sic actum esset, accuratioris disquisitionis causa, nec de vobis, nec de iis, qui pro illis scripserant, quidquam

---

[1]) Scil. presbyteri romanae ecclesiae, qui nicaenae synodo interfuerant, ut infra declaratur n. 16. adeoque Vito et Vincentius a Silvestro ad hanc synodum egati.

praejudicantes, hortati sumus eos, qui literas miserant, ut huc se conferrent: ut quando quidem plures sunt, qui pro illis scripsere, in synodo omnia examinarentur: quo nec damnetur innoxius, nec qui reus est ut purus habeatur. Non igitur a nobis vilipenditur synodus, sed ab iis qui temere et levissime arianos, ab omnibus damnatos, etiam contra judicum sententiam receperunt. Horum quidem plerique jam resoluti cum Christo sunt: sed qui etiamnum superstites sunt, indigne ferunt, quod suum judicium quidam resciderint.

4. Hoc autem ita se habere deprehendimus ex iis, quae Alexandriae acta sunt. Nam Carpones[1]) quidam ab Alexandro ob arianam haeresim pulsus, simul et nonnulli ejusdem haeresis causa ejecti, a quodam Gregorio missi huc venerunt. Idipsum[2]) etiam a Ma-

---

[1]) Is ab Alexandro apud Athanasium nov. edit. pag. 397. necnon apud Socratem lib. 1. cap. 6. inter Ecclesiae desertores recensetur. Eumdem Epiphanius haer. 69. ex Alexandrinis ecclesiis unam administrasse tradit.

[2]) Illud *idipsum* non ad rem proxime narratam refertur, sed ad id quod numeri hujus initio Julius sibi probandum proponit, quam nihili videlicet Eusebiani ducerent nicaenae synodi decreta. Hoc primum Carponae et sociorum a Gregorio Romam missorum,

cario presbytero et Martyrio et Hesychio diaconis didicimus. Antequam enim presbyteri Athanasii advenirent, auctores nobis erant, ut Alexandriam Pisto cuidam literas mitteremus, quo tempore Athanasius quoque episcopus Alexandriae degebat. Quem Pistum Athanasii presbyteri supervenientes arianum esse declararunt, expulsum olim ab Alexandro episcopo et a nicaena synodo; jam vero ordinatum a quodam [1]) Secundo, quem magna synodus ejecerat, utpote arianum. Hoc autem nec ipse Martyrius aut socii inficiabantur, neque negabant Pistum a Secundo fuisse ordinatum. Hinc igitur perpendite, quinam jure culpandi sint, nosne quibus persuaderi non potuit, ut Pisto Ariano scriberemus, an qui auctores erant, ut magnam synodum vilipenderemus, et impiis, quasi pii fuissent, literas mitteremus? Nam Macarius ipse presbyter, qui cum Martyrio ab Eusebio missus est, ut audivit instare presbyteros

---

nunc Pisti et Secundi exemplo comperisse se probat.

[1]) Videlicet Ptolemaidis episcopo, quem aegyptiorum episcoporum concilium primum circa annum 320. ac deinde nicaena synodus anathemate damnarunt, uti fidem faciunt monimenta, quae Socrates lib. 1. c. 6. et 9. refert.

Athanasii, cum nos exspectaremus, ut una cum Martyrio et Hesychio coram nobis se sisteret, corpore licet aeger, noctu abscessit; ut hinc merito conjiceremus, eum ideo discessisse, quod se puderet circa Pistum refutatum iri: cum fieri non posset, ut ordinatio Secundi ariani in Ecclesia catholica valeret. Illud enim re vera synodo et episcopis, qui in ea convenere, contumeliosum esset, si quae illi tanto studio ac pietate tamquam Deo praesente egerunt, quasi nullius pretii abrogarentur.

5. Si igitur, uti scribitis [1]), eorum, quae in

[1]) Hunc locum Socrates lib. 2. c. 15. illustrat, ubi ait, Julio ab Orientalibus Antiochiae congregatis rescriptum, *non debere ab ipso discuti, si quos ipsi ecclesiis suis expellere voluissent; neque enim se contradixisse tunc, cum Novatus Ecclesia ejectus est.* Mentem suam ipsimet Eusebiani apud Hilarium frag. 3. n. 26. apertius explicant, eandem calumniam subinde Philippopoli non adversus Julium tantum, sed et adversus Occidentales renovantes in hunc modum: *Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiae, ut in concilio Orientales episcopi quidquid forte statuissent, ab episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium partium episcopi, ab Orientalibus solveretur Verum omnium conciliorum juste legitimeque actorum decreta affirmanda majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma*

causa Novati et Pauli Samosatensis gesta sunt, exemplo, synodorum dogmata vigere

---

sub Novato et Sabellio et Valentino haereticis factum concilium ab Orientalibus confirmatum est: et iterum in Oriente sub Paulo Samosatis quod statutum est, ab omnibus est signatum. Obiter observo in omnibus illis locis *Novatiani* vocem loco *Novati* substituendam fuisse. Ipse vero Julius hoc erratum, quod Orientalibus familiare est, in ipsorum literis offendens, illud corrigere neglexit. Nunc vero id, quod in Novatiani causa gestum est, frustra obtendunt Eusebiani, ut quod ab uno concilio statutum est, ab altero minime discutiendum esse approbent. Ipso Eusebio teste, *cum Romae* (hac de causa) *congregata esset synodus, cumque in provinciis antistites quid agendum esset, seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, Novatum* (leg. *Novatianum*) *quidem et eos, qui una cum ipso sese insolentius extulerunt, alienos ab Ecclesia habendos esse.* Quocirca Cyprianus ad Stephanum papam epist. c. n. 2. scribit, *Novatianum nuper retusum et refutatum et per totum orbem a sacerdotibus Dei* (qui, ut mox dicebat Eusebius, *seorsum* in conciliis *consultarant*) *abstentum.* Neque illud majori fide dignum, quod aiunt, antiocheni concilii sententiam adversus Paulum samosatensem nullo examine praevio fuisse admissam. Nempe, ut Eusebius idem lib. 7. hist. c. 30. narrat, Paulus a concilio damnatus, cum ex Antiochenae ecclesiae domo excedere nollet, eamque ob causam imperatorem interpellasset, *praecepit Aurelianus, ut iis domus traderetur, quibus italici christianae religionis*

oportet; certe multo magis decuit trecentorum episcoporum decreta non irrita fieri, decuit universalem synodum a paucis non contemni. Ariani enim sunt haeretici aeque ac illi, et paria contra hos atque contra illos decreta prodierunt. Cum autem tales ausus

---

antistites et romanus episcopus scriberent: quod Eusebius ipse *rectissime judicatum* testatur. Hac autem occasione Domno in locum Pauli suffecto scribere, eique antiochenae ecclesiae domum adjudicare quomodo potuerint romanus aliique antistites, nisi prius antiocheni concilii de Pauli causa judicium recognovissent? maxime cum sibi apud ethnicum Imperatorem de sententia sua rationem reddendam esse non ignorarent. Neque magis veritati aut aequitati consentaneum est, quod Eusebiani rursum de Sabellii causa Philippopoli objecerunt. Hujus quippe haeresim Ptolomaide in Pentapoli, adeoque in Oriente natam, et a Dionysio alexandrino episcopo, qui pariter ad Orientem pertinebat, primum refutatam ac damnatam fuisse epistola 1. ad Xystum II. n. 2. persuadet. Unde Orientalium potius de Sabellio judicium Romae confirmatum esse, quam romani concilii de eodem haeretico sententiam Orientalium consensu ratam fuisse conficitur. Aut certe si Dionysius alexandrinus nascentem Sabellii haeresim refutasse contentus literas, quibus illam refellebat, ad Xystum misit, exspectavitque, quid de illa romanum sentiret concilium, ac tandem romanae synodi judicium cum ceteris Orientalibus comprobavit, hinc nihilo minus perspicua fiet romani antistitis in Oriente auctoritas. Constantius.

viderimus, quinam discordiae flammam accenderunt? nos enim istud commisisse in literis vestris arguistis. Nosne discordiam induximus, qui afflictorum fratrum vicem dolemus, et omnia secundum canonem egimus? annon potius qui contentiose et contra canonem trecentorum decreta violarunt, et in omnibus synodum contempserunt? Non solum enim ariani admissi, sed et a loco in locum episcopi sese transferre [1]) meditati sunt. Si igitur vere parem eundemque existimatis

---

[1]) Eusebium carpit, qui relicta berytensi sede in nicomediensem invaserat, ac demum hanc quoque repudians, constantinopolitanam occupavit. Primam illam sedis mutationem, etiam ante Nicaenum concilium, cujus canone 15. hujusmodi translatio prohibetur, reprehenderat Alexander alexandrinus antistes in epistola encyclica apud Athanasium to. 1. nov. edit. pag. 397. et apud Socratem lib. 1. c. 6. Utramque alexandrina synodus anno 340. habita item apud Athanasium ibid. pag. 129. coarguit his verbis: *Neque animadvertit Pauli praeceptum: Alligatus es uxori, noli quaerere solutionem. Quod si hoc de uxore dictum est, quanto magis de ecclesia. et de ipso episcopatu, cui alligatus quispiam alium quaerere non debet, ne adulter ex sacris literis deprehendatur.* Anno 347. sardicense concilium pravam hujusmodi consuetudinem *funditus eradicare* cupiens, *nec laicam communionem habere* voluit eum, *qui talis est.* Hunc et subinde Damasus anathemate damnandum semel et iterum censuit. Coustantius.

episcoporum honorem, neque ex magnitudine civitatum, uti scribitis, episcoporum dignitatem metimini; oportuit eum, cui parva civitas concredita fuerat, in illa manere, nec contempta illa, quae sibi credita erat, ad aliam sibi non commissam transire; ita ut eam quae sibi a Deo tradita est despiceret, inanem vero hominum gloriam exoptaret.

6. Ergo, dilectissimi, oportuit vos huc accedere, et non abnuere: ut negotium ad finem deduceretur; id enim ratio postulat. Sed fortasse praefinitum tempus id vobis non permisit; in literis enim vestris conquesti estis angustum nos ad synodum cogendam temporis spatium definivisse. Verum hoc, dilecti, mera est causae simulatio. Nam si quos jam profectos praevertisset ille dies, angustum sane fuisse praefiniti temporis spatium recte arguerent. Si autem ii, quibus accedere non libuit, presbyteros quoque usque ad mensem Januarium detinuerint; merus est praetextus hominum suis rebus diffidentium. Venissent enim, ut prius dixi, si de sua causa bene sperassent, non itineris intervallum considerantes, nec ad praefinitum tempus respicientes, sed justitia et aequitate suae causae freti.

7. At fortassis ob temporis rationem non

venerunt; hoc enim rursum scripto significastis, oportuisse scilicet nos, animadvertentes praesentem rerum [1]) Orientalium statum, non vos hortari ad veniendum. Si igitur ob talem temporum conditionem profecti non estis, ut dicitis; decuit vos in primis temporis hujusce ratione habita [2]), schismatis, luctus et lacrimarum in ecclesiis non esse auctores. Jam vero qui talia egerunt, indicarunt, non temporis conditionem hujusce rei causam esse, sed meditatum accedere nolentium consilium.

8. Miror autem et hanc epistolae vestrae

---

[1]) Hunc Orientalium rerum statum, de quo loquebantur, Athanasius epist. ad Solitar. n. 11. sic explicat: *Futilem excusationem commenti, ob persarum bellum nequimus, ajebant, jam accedere.* Tum eandem excusationem sugillat his verbis: *Quid enim ad episcopos bellum? Et quare persarum bello praepediuntur, quominus Romam accederent longinquam et transmarinam urbem, qui Orientis loca persis finitima tunc temporis instar leonum circuirent?* Julius tamen eos Orientalium rerum praetexentes statum hic videtur intellexisse, quasi de tristi ac luctuoso discidio ecclesiarum Orientalium, a quibus praesules tum abesse non deceret, loquerentur.

[2]) Schismatis ac luctus auctores exstiterunt, dum Gregorium Athanasio vivente episcopum ordinarunt, et in alexandrinam sedem per vim ac multa flagitia intruserunt.

partem, qua expostulastis, quod solus [1]) Eusebio ejusque sociis solis, et non omnibus vobis scripserim. Subtilitatem enim potius in expostulantibus invenire est, quam veritatem. Mihi enim, qui literas contra Atha-

---

[1]) Conjectura non deest hic legendum esse, *soli Eusebio* (gr. τοῖς περὶ Εὐσέβιον), et infra, *Oportuit igitur aut Eusebium non absque omnibus vobis solum scripsisse*, ac sic deinceps; adeo ut quae plurali numero enunciantur, de uno Eusebio singulariter dicta intelligantur. Nempe hic loquitur Julius de literis, quas Martyrius et Hesychius sibi tradiderunt. Atqui supra num. 4. Martyrium et Hesychium *ab Eusebio* (παρὰ Εὐσεβίου) missos esse meminit. Sed et Athanasius Apolog. cont. Arian. n. 1. literas illas, quas Martyrius et Hesychius ad Julium detulerunt, uni Eusebio adscribit, γράψαντος Εὐσεβίου. Athanasio Socrates lib. 2. c. 11. et Sozomenus lib. 3. c. 7. concinunt. Theodoretus vero lib. 2. c. 4. de iisdem literis sermonem habens, Julii locutionem retinuit, nec dixit sympliciter Εὐσέβιος, sed περὶ Εὐσέβιον; qua locutione Epiphanius histor. tripart. c. 6. *Eusebium ejusque consortes*, Valesius (quod idem est) *Eusebianos* literarum illarum scriptores esse intellexerunt. Qui sint illi Eusebii consortes, synodus sardicensis (si tamen de his prioribus, non de posterioribus Eusebianorum literis, quae huic Julii rescripto occasionem dederint, loquitur) apud Hilarium fragm. II. n. 2. declarat, nempe *Eusebius, Marius, Theodorus, Diognitus, Ursacius et Valens:* quibus apud Theodoretum lib. 2. c. 8. adduntur *Menophantus et Stephanus*. Constantius.

nasium non aliunde, quam a Martyrio et Hesychio, acceperam, necesse fuit iis qui contra illum scripserant respondere. Oportuit igitur, ut vel Eusebiani non soli sine vobis omnibus scriberent, aut vos, quibus non scripsi, moleste non feratis, quod iis rescriptum sit, qui scripserant. Nam si decuit literas ad vos omnes mitti, par fuit etiam vos una cum illis scripsisse. Nunc autem quod congruum erat spectantes, illis scripsimus, qui nos certiores reddiderant et literas ad nos miserant. Si et illud vos commovit, quod solus scripserim; par est vos etiam indignari, quod illi mihi soli scripserint. Sed in hoc quoque speciosa quidem, at non aequa excusatio est, dilectissimi. Attamen necessum est vobis notum facere, etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius, sed omnium episcoporum qui in Italia sunt, et qui in his partibus degunt, esse illam sententiam. Et ego quidem nolui omnes ad scribendum inducere, ne complurimis id grave ac molestum foret. Certe jam ad praefinitum tempus episcopi convenere, et ejusdem sententiae fuerunt, quam denuo his literis vobis significo. Quapropter, dilecti, etiamsi solus scribo, omnium tamen hanc esse sententiam agnoscite. Et haec quidem satis sint ad de-

monstrandum, quosdam ex vobis non aequas, sed injustas et suspectas causas afferre.

9. Quod autem non temere vel injuste coepiscopos nostros Athanasium et Marcellum ad communionem susceperimus, tametsi ex supradictis id satis planum est, operae tamen pretium fuerit paucis verbis vobis demonstrare. Contra Athanasium scripserunt primum eusebiani ac socii; scripsistis et vos modo. Pro Athanasio autem complures episcopi ex Aegypto et ex aliis provinciis[1]) scripserunt. Primum igitur observandum est, vestras adversus illum literas inter se pugnare, et priores cum secundis nulla ratione consentire; sed in multis primas a secundis confutari et secundas a primis falsi argui. Cum autem literae inter se non consentiunt, nulla iis quae dicuntur habenda fides. Dehinc si vestris litteris fidem haberi postulatis; consentaneum est et iis, qui pro illo scripserunt, fidem non negare: maxime quia vos de iis, quae quidem procul a vobis gesta sint, scribitis; illi vero cum in ipsis essent locis,

[1]) Hanc aegyptiorum epistolam Athanasius initio apologiae suae contra arianos totam inseruit, ac num. 20. diserte monet, eam *ad omnes episcopos et ad Julium romanum episcopum* fuisse missam.

ubi et virum ipsum et res illic gestas viderunt, scribant, et vitae ejus probitatem testentur, affirmantes eum calumniam in omnibus passum esse. Ac rursum Arsenius quidam episcopus dictus est aliquando interfectus ab Athanasio; sed hunc vivere, imo ejus amicum esse didicimus.

10. Ille igitur [Athanasius] monimenta in Mareote adornata [1]), altera solum e partibus praesente facta fuisse affirmavit. Nam nec illic adfuisse Macarium presbyterum qui accusabatur, nec ipsum episcopum ejus Athanasium, non solum ex verbis ejus, sed ex ipsis inquisitionum monimentis, quae Martyrius et Hesychius nobis attulerunt, agnovimus. Legendo quippe comperimus, accu-

[1]) Respicit hic Julius legationem mareoticam. Cum nimirum eusebiani in synodo tyria (a. 335) suas in Athanasium conjectas calumnias de confracto Ischyrae calice per Macarium comprobare non possent, pudore affecti Dionysio comiti auctores erant, ut quosdam legatos mitteret in Mareoten, ubi crimen hoc contigisse ferebatur, perquisitum an quidpiam criminis possent in Macarii gestis deprehendere. Idque factum est, sed ea conditionum iniquitate, quam hic describit et detestatur summus pontifex. Ceterum de his omnibus conferenda est Apologia s. Athanasii, in qua prostant monumenta, ad quae hic et nn. ss. pontifex provocat.

satorem quidem Ischyram illic adfuisse, Macarium autem et episcopum Athanasium minime; quin et Athanasii presbyteris postulantibus, uti sibi interesse liceret, illud negatum esse. Oportuit autem, dilectissimi, si modo judicium illud sincere actum fuisset, non tantum accusatorem, sed et accusatum adesse. Sicut enim Tyri aderat Macarius qui accusabatur, et Ischyras accusator, et nihil ibi probatum est; sic et in Mareoten oportuit, non accusatorem solum, sed et accusatum accedere; ut is praesens vel convinceretur, vel non convictus calumniam palam faceret. Jam vero cum hoc factum non sit, sed solus accusator, cum iis quos Athanasius recusabat, eo concesserit, suspecta sane acta illa videntur. Conquestus est etiam ipse (Athanasius), eos qui ad Mareoten abierunt, se recusante illuc concessisse: dicebat enim Theognium, Marin, Theodorum, Ursacium, Valentem et Macedonium sibi suspectos illuc missos fuisse.

11. Hoc autem non suis tantum verbis, sed etiam ex epistola Alexandri quondam Thessalonicae episcopi demonstrabat. Protulit enim ejus epistolam ad Dionysium in ea synodo comitem scriptam, qua significabat manifestam adversus Athanasium conspi-

rationem esse conflatam. Sed et ipsius accusatoris Ischyrae scriptum protulit authenticum, quod totum erat ejus manu exaratum, in quo Deum omnipotentem testem invocans neque calicem fuisse confractum, neque mensam eversam declarabat; sed se a quibusdam ut hanc accusationem confingeret, subornatum esse. Cum advenissent autem presbyteri Mareotici, affirmarunt neque Ischyram esse catholicae Ecclesiae presbyterum, neque tale facinus perpetrasse Macarium, quale is illi imputabat. Presbyteri vero et diaconi, qui huc accessere, non pauca, imo quam plurima de Athanasii episcopi innocentia testabantur, affirmantes nihil eorum quae illi objiciebantur verum esse, sed conspirationem adversus eum fuisse conflatam. Quin Aegypti quoque ac Lybiae episcopi omnes literis suis testati sunt, tum ejus ordinationem legitimam et ecclesiasticam fuisse, tum quae a vobis adversus illum delata sunt omnia esse falsa: neque enim caedem factam, nec ullos ejus causa occisos, neque calicem confractum fuisse, sed a vero abhorrere omnia.

12. Imo vero ex ipsis inquisitionum monimentis, quae in Mareote una tantum ex partibus praesente facta fuerant, comprobavit episcopus Athanasius, catechumenum quem-

dam interrogatum dixisse, se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore ajunt Macarium Athanasii presbyterum se in eum locum immisisse: ex aliis vero, qui item interrogati fuerunt, hunc dixisse quod in parva cellula, alium quod pone januam jaceret Ischyras tunc aegrotus, quo tempore illi Macarium ajunt eo advenisse. Ex hujus autem dictis hoc nos consequenter observamus: qui fieri potuit ut is, qui pone januam aeger decumberet, tunc steterit, liturgiam celebrarit, ac oblationem fecerit? Aut qui potuit oblatio apposita esse, cum intus essent catechumeni? Si enim intus erant catechumeni, nondum oblationis tempus erat [1]). Haec, ut dictum est, ajebat episcopus Athanasius, et ex ipsis monimentis palam faciebat, iis, qui cum eo erant, affirmantibus, nec Ischyram unquam in Ecclesia catholica fuisse presbyterum, nec in ecclesiasticis conventibus presbyteri locum habuisse. Quin quo tempore Alexander,

---

[1]) Non enim licebat secundum antiquam arcani disciplinam catechumenis interesse oblationi eucharisticae, sed tantum precibus et lectionibus, quae illam praecedebant; tunc dimittebantur, et hinc haec liturgiae pars dicebatur *missa catechumenorum*; altera vero pars, quae complectebatur ipsam eucharistiae celebrationem, *missa fidelium* vocabatur.

magna synodo per indulgentiam id concedente, eos qui erant ex schismate Meletii recepit, Ischyram a Meletio in numero presbyterorum suorum nominatum prorsus non fuisse affirmabant: quod maximum argumentum est, ipsum ne ex Meletianis quidem presbyteris esse; nam si ex illis exstitisset, iis sane et ipse annumeratus fuisset. Praeter haec alia quoque Athanasius ex monimentis illis coarguebat Ischyrae mendacia, quippe qui in accusatione, qua libros, quando Macarius ut ipsi ajunt irrupit, combustos denunciavit, ab iis testibus, quos ipse produxit, falsi convictus est.

13. Haec cum ita dicerentur, et tot testes pro illo starent, totque ipse afferret innocentiae suae argumenta; quid, quaeso, nobis agendum fuit? aut quidnam aliud postulabat ecclesiastica regula, nisi ut virum non damnaremus, sed potius reciperemus ac pro vero episcopo haberemus, quemadmodum et habuimus? Etenim praeter haec omnia, annum unum et sex menses hic remansit, adventum vestrum aut eorum, qui huc se conferre vellent, exspectans; suaque praesentia omnes pudore afficiebat, non adfuturus quippe, nisi suae causae confidisset. Non enim suo motu, sed accersitus ac literis no-

stris acceptis, huc accessit, quemadmodum et vobis literis nostris indicavimus. Attamen post tot tantaque a nobis gesta, nos criminati estis, quasi contra canones egerimus.

14. Perpendite igitur, quinam contra canones egerint; nosne qui post tanta innocentiae argumenta virum recepimus, an qui triginta sex[1]) mansionibus distantes Antiochiae extraneum quendam episcopum nominarunt, eumque Alexandriam miserunt militari manu stipatum? quod ne tunc quidem factum est, cum is in Gallias relegatus esset; tunc enim faciendum erat, si re vera ille convictus fuisset. Certe in reditu suo vacantem seque exspectantem ecclesiam invenit. At nunc ignoro qua ratione haec facta sint. Primum enim, si veritas dicenda est, non oportuit, cum ad cogendam synodum literas misissemus, aliquos judicium synodi praevertere. Deinde non decuit hujusmodi innovationem adversus Ecclesiam induci. Qua-

---

[1]) Julii dictis consentit Antonini itineratium, in quo Antiochia Alexandriam contendentibus triginta sex mansiones re ipse assignantur. Antiquos autem mansionum numero locorum distantiam seu itinerum longitudinem metiri solitos esse confirmat illud Augustini lib. de unitate Ecclesiae c. 10. n. 31. *Quaerite ab Jerusalem per terrena itinera in circuitu usque in Illyricum, quot mansiones sint.*

lis enim canon ecclesiasticus, aut qualis apostolica traditio hoc permittit, ut in pace agente ecclesia, ac tot episcopis cum Athanasio Alexandriae episcopo consentientibus Gregorius mittatur, externus homo, qui non illic est baptizatus, qui complurimis ignotus est, nec a presbyteris vel ab episcopis vel a plebe postulatus: sed is Antiochiae ordinetur, Alexandriam vero, non cum presbyteris vel diaconis urbis, non cum episcopis Aegypti, sed cum militibus transmittatur? hoc namque haud sine querela ajebant qui huc venere. Etiamsi enim post synodum reus deprehensus fuisset Athanasius; non decuit sic praeter jus fasque, et contra ecclesiasticum canonem, ordinari quempiam: sed in ipsa ecclesia, ex ipso sacerdotali ordine, ex ipso clero, ab episcopis provinciae illius constitui oportuit, et nequaquam nunc apostolorum[1])

---

[1]) Non est cur canonibus, qui Apostolorum circumferuntur nomine, patrocinium inde et auctoritas asseratur. In his quippe regulas, quae hic spretae notantur, frustra quaesieris. Qui autem intelligendi sint hi *Apostolorum canones*, interpretatur Athanasius in epistola, quam statim atque Gregorius intrusus est, ad episcopos encyclicam misit, in cujus numero 2. haec habet: *Si qua adversum nos criminatio vim haberet, oportuit nec arianum, nec arianae sectae hominem ordinari: sed secundum*

canones violari. Si enim in quemquam vestrum tale quidpiam commissum esset; nonne clamassetis, nonne violatorum canonum vindictam postulassetis? Certe, dilecti, hoc quasi Deo praesente cum veritate loquimur ac dicimus, non est hoc pium, nec legitimum, nec ecclesiasticum. Nam quae a Gregorio in suo ingressu gesta esse dicuntur, ordinationis ejus modum indicant. In his enim pacis temporibus, ut narrarunt ii, qui Alexandria

---

ecclesiasticos canones et secundum verba Pauli, congregatis populis et spiritu ordinantium cum virtute Domini nostri Jesu Christi, omnia secundum ecclesiasticas leges disquiri et peragi praesentibus et populis et clericis qui eum postularent. Ideo igitur regulae a Julio memoratae dicuntur *canones Apostolorum*, quia vel ex conceptis Pauli verbis, vel ex Apostolorum traditione auctoritatem habeant. Quocirca et Cyprianus epist. 68. Emeritensibus *de traditione divina et apostolica observatione diligenter tenendum* scribit, quod per Africam *et fere per provincias* teneri docet, *ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit.* Quibus postremis Cypriani verbis innui etiam videtur qui a Julio commendatur usus, ut *de ipso clero* ejus ecclesiae, cui ordinandus est episcopus, eligatur, alioquin plebi, cui praeficitur, quo pacto esset *plenissime notus?*

venerunt, et quemadmodum episcopi quoque literis suis significarunt, ecclesia incendium passa est, virgines denudatae, monachi conculcati, presbyteri et ex plebe multi laniati ac vim perpessi, episcopi in carcerem trusi, multi circumcirca raptati, sancta mysteria, de quibus violatis Macarium presbyterum postulabant, ab ethnicis direpta sunt et in terram projecta, ut Gregorii ordinationem aliqui admitterent. Haec autem ostendunt, quinam canones violent. Nam si legitima fuisset ordinatio, nequaquam praeter jus fasque eos coegisset sibi obtemperare, qui jure ipsius imperium detrectabant. Verumtamen his ita gestis, scribitis magnam tum pacem Alexandriae et in Aegypto fuisse. Nisi forte pacis notio mutata sit, et jam haec pacem appelletis.

15. Illud quoque vobis necessario indicandum putavi, Athanasium nempe affirmasse, Macarium Tyri sub custodia militum remansisse; accusatoremque solum abiisse cum iis, qui in Mareoten proficiscebantur; presbyterisque rogantibus, ut sibi inquisitioni adesse liceret, id negatum fuisse, interrogationem autem de calice et de mensa factam esse coram praefecto et ejus cohorte, praesentibus ethnicis et judaeis. Videbatur illud

initio incredibile, nisi fuisset ex ipsis monimentis demonstratum. Quod nobis admirationi fuit, id etiam vobis, dilecti, fore existimo: ut de sanguine et corpore Christi interrogatio, cui presbyteri, licet mysteriorum ministri sint, interesse non permittuntur, apud externum tamen judicem, praesentibus catechumenis, et quod indignius est, coram ethnicis et judaeis [1]), qui circa christianismum suspecti et male affecti audiunt, habita sit. Nam si omnino scelus perpetratum est, oportuit hoc negotii in Ecclesia a clericis secundum leges examinari, et non ab ethnicis qui Verbum detestantur et veritatem ignorant. Hoc autem flagitium quantum et cujusmodi sit, et vos et omnes animadversuros existimo. Haec quidem de Athanasio.

16. Quod autem ad Marcellum [2]) attinet, postquam de illo ut impio erga Christum

---

[1]) Haec pariter erant contra arcani disciplinam: hinc patres vel in suis ad populum sermonibus nolunt de hisce loqui mysteriis, si suspicarentur inter auditores adesse infideles vel catechumenos. Quod si orationis series illos huc perducit, iis vix significatis ad alia transeunt, hinc tam frequens apud eos formula: *Norunt initiati.*

[2]) Est hic Marcellus ancyranus, quem ariani deposuerant, quique pariter Romam ut Athanasius confugerat.

scripsistis, vobis studui significare, eum cum huc venisset, affirmasse falsa esse quae vos de ipso scripsistis. Sed cum nihilo minus postulassemus, ut fidem suam exponeret, tanta fiducia per se ipse respondit, ut nobis exploratum fuerit, eum nihil a veritate alienum profiteri. Namque professus est, sese de Domino et Salvatore nostro Jesu Christo aeque pie sentire, ac sentit Ecclesia catholica; neque se nunc primum, sed pridem ita sensisse. Id quoque testati sunt et presbyteri nostri, qui Nicenae synodo adfuerant, fidem illius orthodoxam esse confirmantes: etenim tunc temporis, ut et nunc, adversam arianorum haeresi sententiam tenuisse se affirmabat. Quocirca vos admonitos velim, ut nullus ejusmodi haeresim recipiat; sed abominetur ut a sana doctrina alienam. Cum ergo ille recte sentiret, et rectae fidei suae testimonium haberet; quid, quaeso, et de illo nobis faciendum fuit, nisi ut eum pro episcopo haberemus, ut et habuimus, et a communione non abjiceremus?

17. Haec quidem ego, non ut qui eorum causam agam, scribo; sed ut vobis fidem faciam, nos jure et canonice viros illos suscepisse, et vos frustra disceptationes movere. Aequum est autem, vos studere et omnibus

modis contendere, ut et quae contra canonem acta sunt corrigantur, et ecclesiae pace fruantur: adeoque pax Domini, quae data est nobis, permaneat, et ecclesiae non scindantur; nec vos culpemini ut schismatis auctores. Vobis quippe fateor, ea quae gesta sunt, non pacis, sed schismatis speciem prae se ferunt.

18. Non enim Athanasius dumtaxat et Marcellus episcopi huc se contulerunt, ac secum injuste actum esse conquesti sunt: sed etiam complurimi alii episcopi ex Thracia, Coelesyria, Phoenicia et Palaestina, et una presbyteri non pauci, atque alii quidem Alexandria, et alii ex aliis partibus, ad synodum huc coactam accessere, qui coram omnibus episcopis congregatis, praeter alia quae in medium protulere, conquesti sunt insuper, ecclesias vim injuriamque esse perpessas, ac in suis aliisque ecclesiis paria iis, quae Alexandriae, gesta esse asseverarunt non solum verbo, sed rebus ipsis [1]). Ex Aegypto quoque et Alexandria rursum cum literis proxime advenientes presbyteri, haud sine querela et gemitu testati sunt, episcopos complures ac presbyteros, qui ad synodum se conferre vellent, prohibitos fuisse. Ajebant enim ab

---

[1]) Cf. in quae in praefat. n. 8. diximus.

Athanasii discessu ad praesens usque tempus, episcopos, eosque confessores, plagis laniari, et alios in carcere detineri: jamque antiquos praesules, qui multos annos in episcopatu transegerant, ad ministeria publica tradi, et omnes fere Ecclesiae catholicae clericos et populos insidiis appeti ac persecutionem sustinere. Nonnullos enim episcopos et quosdam fratres extorres factos dicebant, nulla alia de causa, nisi ut vel inviti cogerentur cum Gregorio ejusque sociis arianis communicare. Ancyrae autem in Galatia non parva, sed ea ipsa quae Alexandriae gesta sunt, commissa audivimus cum ab aliis, tum a Marcello episcopo, qui illud testimonio suo confirmabat. Ad haec, tanta tamque atrocia crimina nonnullorum ex vobis, quorum nomina taceo, ab iis qui huc accessere delata sunt, ut ego illa scribere veritus sim, cum fortasse et vos didiceritis ab aliis. Etenim haec potissima mihi scribendi causa fuit, et vos adhortandi ut huc veniretis: quo et coram haec audiretis, et omnia corrigi et sanari possent. Idcirco accersitos promptiori animo occurrere oportuit, et non recusare: ne si non occurerent, jam circa ea quae dicta sunt suspecti haberentur, utpote qui res a se scriptas probare non potuerint.

19. Haec cum ita delata sint, et ecclesiae adeo gravibus premantur malis, ac insidiis appetantur, ut affirmavere qui haec renunciabant; quinam sunt qui flammam discordiae accendunt? nosne qui ista dolemus et vexatos fratres miseramur, an qui talia perpetrarunt? Miror enim, cum talis ac tanta rerum perturbatio fuerit in singulis ecclesiis (quae causa illis fuit huc properandi), vos tamen scribere concordiam in ecclesiis exstitisse. Haec autem non ad aedificationem Ecclesiae, sed ad ejus ruinam vergunt; et qui his gaudent, non pacis, sed dissensionis filii sunt. *Nobis autem non est dissensionis Deus, sed pacis* (1. Cor. 14, 33). Quapropter, ut mihi conscius est Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, vestrae existimationis curam gerens, exoptans quoque ecclesias non in perturbatione degere, sed eas ut ab apostolis statutum est permanere, haec ad vos scribere necessarium duxi, ut nunc tandem illos retundatis, qui ob mutuum inter se odium, ecclesias eo redigunt. Audivi enim paucos numero esse, qui horum omnium essent auctores. Operam date, ut viscera misericordiae habentes, ea corrigatis, uti supra dixi, quae contra canonem gesta sunt; ut si quid mali anteverterit, id vestro studio emendetur.

20. Nec mihi scribatis: Marcelli et Athanasii communionem potius, quam nostram cooptasti; nam haec non pacis, sed contentionis et odii fraterni sunt indicia. Quapropter superiora scripsi, ut certiores facti eos non injuste a nobis receptos esse, hujusmodi jurgio finem imponeretis. Si enim illi vobis huc concedentibus convicti fuissent, et si non aequas rationes pro sua defensione protulissent; jure merito talia scripsissetis. Quandoquidem autem, ut praedixi, ex canonum praescripto et non injuste cum illis communione jungimur; obsecro vos per Christum, ne sinatis discindi membra Christi, neu praeconceptis opinionibus credatis, sed Domini pacem pluris faciatis. Non enim aequum justumque fuerit, ob paucorum simultatem, eos qui convicti non sunt abjicere, et in hoc Spiritum contristare.

21. Quod si arbitramini posse quaedam adversus illos probari, et coram eos convinci; veniant quibus id placuerit. Nam se paratos esse polliciti sunt ad ea, quae nobis denunciarunt, liquido confutanda. Certiores igitur nos, dilectissimi, ea de re facite, quo et illis, et episcopis huc rursum conventuris scribamus: ut praesentibus omnibus qui rei sunt convincantur; nec ulterius perturbatio in ec-

clesiis exsistat. Sufficiunt enim quae facta sunt, sufficit quoque praesentibus episcopis episcopos in exsilium actos esse: qua de re non est prolixior sermo habendus, ne gravari videantur qui tum affuere. Nam si verum est dicendum, minime decuit ad haec usque facinora procedere, aut eo usque has dissensiones progredi. Esto, sint Athanasius et Marcellus, uti scribitis, de suis sedibus [1]) moti: sed quid de aliis dicatur cum episcopis, tum presbyteris, qui ex diversis locis, quemadmodum praedixi, huc se contulere? nam et isti quoque se abreptos, et istiusmodi calamitatibus afflictos esse testati sunt.

22. O dilecti, non jam Ecclesiae judicia secundum Evangelium, sed [2]) ad exsilii ac mortis poenas decernendas instituuntur. Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, judicium secundum ecclesiasticum canonem,

---

[1]) Hic subaudiendum videtur, juste. Istiusmodi argumentum non praetermisit Athanasius: sic quippe epist. ad Solit. n. 3. loquitur: *Esto, Athanasium accusaverint: sed quid mali admisere alii episcopi? quis adversus illos obtentus? quis apud illos Arsenius mortuus repertus est? quisnam apud illos Macarius presbyter, aut calix confractus? quis Meletianus insimulavit?*

[2]) Supple, more seculi, a cujus severitate abest evangelica atque ecclesiastica clementia.

nec eo pacto, fieri oportuit. Oportuit omnibus [1]) nobis scripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur; episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae quae vexabantur, sed quas ipsi apostoli per se gubernarunt. Cur autem de alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur? Sane si qua hujusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam scribendum fuit [2]). Nunc autem illi, re nobis non

---

[1]) Quid sibi vult istud *omnibus nobis*, nisi Julio et iis qui ad indictam synodum cum ipso convenerant? Certe Julius supra n. 2. postulatam memorat synodum, *ut coram* omnibus *justum posset proferri judicium*: et num. 18. narrat, qui ex plurimis partibus episcopi vexati *coram* omnibus *episcopis congregatis* expostulationes suas in medium protulerint: et num. 21. ad eosdem rursum vocandos se paratum significat, *ut praesentibus* omnibus *qui rei sunt convincantur.* Coustantius.

[2]) Graece: *Ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια; Εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ἦν ὑποπτευθὲν εἰς τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐκεῖ, ἔδει πρὸς τὴν ἐνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι.* Ad h. l. haud dubie respexit Socrates l. 2. c. 17, ubi scribit Julium literis ad eos, qui Antiochiae conve-

indicata, postea quam quod libuit egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec patres tradiderunt: sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro, bono animo ferte; quae enim scribo ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a beato Petro apostolo, ea vobis significo; non scri-

---

nerunt, missis in primis conquestum esse, „quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam romani pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur." Et etiam Sozomenus (l. 3. c. 10) cum tradit „pro irritis habenda esse, quae praeter sententiam episcopi romani fuerint gesta." Fatemur quidem hos scriptores ampliorem verbis Julii subjicere sensum, quam illa prae se ferunt; tamen nimium Julii verba coarctat Coustantius cum aliis, qui illa de una alexandrina ecclesia dicta interpretatur. Sat clare enim significat Julius verbis illis: *An ignoratis etc.* regulam *generalem*, quam modo applicat ecclesiae alexandrinae. Quod si quaeras, quam late pateat illa regula, dicimus id definiri posse tum primatus notione, tum ex Ecclesiae praxi et sensu. Haec autem evidenter ostendunt, non in quolibet casu de rebus minoris momenti fuisse scribendum ad romanum episcopum, sed neque solum, cum de ecclesia alexandrina ageretur. Cf. canones synodi sardicensis 3, 4, 5. non diu post celebrati, et quae fusius in praefatione disseruimus.

pturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quae gesta sunt nos conturbassent. Episcopi rapiuntur et e suis sedibus pelluntur, alii aliunde eorum loco substituuntur et alii insidiis appetuntur; ita ut populi de abreptis doleant, ac submissos recipere cogantur; ut quos exoptant [1]) non requirant, quos autem nolunt, inviti recipiant. Rogo vos, ne ultra hujusmodi res agantur: imo potius contra eos scribite qui talia moliuntur; ne deinceps ita vexentur ecclesiae, neve quis episcopus aut presbyter contumeliam patiatur, aut contra animi sui sententiam, ut nobis indicatum est, quis facere cogatur: ne apud ethnicos risum moveamus, ac in primis ne Deum ad iram concitemus. Unusquisque enim nostrum in die judicii rationem suorum in hac vita operum est red-

[1]) Hoc est, adeo ut priventur jure postulandi quos exoptant. Ut enim supra Julius n. 14. docet, ac verba Cypriani in eundem locum relata confirmant, ecclesiasticae leges volebant, ut episcopus ordinandus a clericis et populis postularetur. Nec minus canonibus repugnat populos cogi, ut quos nolint episcopos inviti recipiant. Quapropter concilium aurelianense v. an. 549. c. 11. cavens, *Episcopus ne invitis detur*, conceptis verbis adjungit, *sicut antiqui canones decreverunt*. Vide Caelestini I. epistolam ad episcopos Vienn. et Narbon n. 4. et 5.

diturus. Utinam omnes secundum Deum sentiant: ut et ecclesiae, episcopis suis receptis, perpetuo gaudeant in Christo Jesu Domino nostro, per quem gloria Patri in secula seculorum. Amen. Valere vos in Christo exopto, carissimi ac desideratissimi fratres.

Monitum in epistolam sequentem.

Plures (12) epistolae Liberii Julii successoris (352—366) supersunt, minoris tamen momenti et utilitatis in rem nostram. Speciminis gratia unam exhibebimus, quae si omnia adjuncta spectentur, primatus romani pontificis argumentum haud obscurum est. De illius occasione haec ex Socrate l. 4. c. 12. et Sozomeno l. 6. c. 10. delibabimus. Cum Eudoxius, arianorum primipilus, Valentis imperatoris auctoritate fretus macedonianos vexare aggrederetur, hi malorum impendentium metu satius esse judicarunt, ut ad Valentinianum imperatorem et ad Liberium confugerent hujusque communioni jungerentur, quam ut cum Valente Eudoxiique asseclis in fidei doctrina communicarent. Mittunt ergo ex synodo lampsacena de suo numero tres episcopos, Eustathium Sebastiae, Silvanum Tarsi et Theophilum Castabalorum cum literis tum ab urbe Smyrna in Asia, tum ex Pamphilia, Isauria ac Lycia, ubi concilia cele-

braverant, ad Liberium romanum episcopum et occidentales episcopos scriptis, quibus eorum auxilium implorant, cum „prae ceteris omnibus religionis curam gerere deberent (Sozomenus l. 6. c. 10),“ „mandantque (legatis), ut narrat Socrates l. c., ne in fide dissentiant a Liberio, sed cum Ecclesia romana communionem ineant fidemque consubstantialis consensu suo confirment. Hi ergo . . . Romam venerunt. Et imperatorem quidem ipsum adire eis non licuit, quippe qui bello contra sarmatas districtus in Galliis teneretur. Liberio vero suas literas porrexerunt. Ille initio quidem eos admittere recusabat arianarum partium illos esse dicens . . . At illi se dudum resipuisse et veritatem agnovisse responderunt, et anomoeorum quidem doctrinam ejurasse jampridem, Filium vero Patri per omnia similem confessos esse, nec ullatenus differre consubstantialem a simili.“ Quae cum dixissent, sententiae suae professionem scripto comprehensam Liberius ab eis exegit. Illi ergo libellum ei obtulerunt, in quo verba etiam fidei nicenae erant adscripta. Libellum autem hisce verbis absolvunt: „Quod si quis post hanc fidem a nobis expositam adversus nos aut adversus illos, a quibus missi sumus, aliquam criminationem inferre voluerit, cum literis sanctitatis tuae coram orthodoxis episcopis, *qui a te probati*

fuerint, veniat, et apud illos judicio contendat nobiscum. Ac si quid criminis convictum fuerit, in auctorem animadvertatur." „Hoc libello, prosequitur Socrates, cum legatos quasi cautione quadam Liberius obligavisset, eos in communionem suscepit, datisque hujusmodi literis (a. 366) dimisit." Recitat deinde literas, quas hic subjicimus.

EPISTOLA

LIBERII URBIS ROMAE EPISCOPI AD UNIVERSOS ORIENTIS ORTHODOXOS EPISCOPOS.

Dilectis Fratribus et comministris Evethio, Cyrillo, Hyperechio, Uranio, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio, Eucarpio, Heortasio, Neoni, Eumathio, Faustino, Proclino, Pasinico, Arsenio, Severo, Didymioni, Britannio, Callicrati, Dalmatio, Aedesio, Eustochio, Ambrosio, Gelonio, Pardalio, Macedonio, Paulo, Marcello, Heraclio, Alexandro, Adolio, Marciano, Sthenelo, Joanni, Maceri, Charisio, Silvano, Photino, Antonio, Anytho, Celso, Euphranori, Milesio, Patricio, Severiano, Eusebio, Eumolpio, Athanasio, Diophanto, Menodoro, Diocli, Chrysampelo, Neoni, Eugenio, Eustathio, Callicrati, Arsenio, Eugenio, Martyrio, Hieracio, Leontio, Philagrio, Lucio, et omnibus Orientis orthodoxis episcopis Liberius episcopus Italiae et Occidentis episcopi in Domino sempiternam salutem.

---

1. Optatissimum nobis pacis et concordiae gaudium attulerunt literae vestrae, fidei lumine resplendentes, fratres dilectissimi, red-

ditae nobis per carissimos fratres et episcopos Eustathium, Silvanum et Theophilum idque eo maxime', quod sententiam vestram atque doctrinam cum tenuitate mea cumque omnibus italis et Occidentalibus consentire prorsus et concinere affirmarunt simul ac demonstrarunt. Hanc autem fidem catholicam et apostolicam esse agnoscimus, quae usque ad nicaenum concilium integra et inconcussa permansit Et hanc legati vestri se habere professi sunt: et cum inaestimabili gaudio omne vestigium ac fomitem absurdae suspicionis abolentes, non sermone solum, sed et scripto eam exposuerunt, cujus etiam exemplum his literis necessario subjiciendum esse existimavimus: ne quam haereticis occasionem ad struendas rursum insidias relinquamus, quibus de integro incentiva malitiae suae commoventes, discordiarum ignes pro suo more excitent.

2. Insuper et hoc professi sunt carissimi fratres nostri Eustathius, Silvanus ac Theophilus, tum se, tum vestram caritatem, semper eam fidem habuisse, et ad extremum usque spiritum servaturos esse, quae scilicet Nicaeae a trecentis decem et octo orthodoxis episcopis comprobata est: quae et perfectam continet veritatem, et omnes haereticorum

catervas confutat et evertit. Non enim fortuito casu, sed divino nutu adversus Arii insaniam tantus episcoporum numerus congregatus est, quanto numero beatus Abraham tot millia per fidem profligavit [1]). Quae quidem fides in substantia [2]) et consubstantialis vocabulo comprehensa, tamquam firmum et inexpugnabile munimentum, omnes impetus et pravas machinas arianae dementiae reprimit ac repellit.

3. Quocirca cum omnes occidentalium partium episcopi Ariminum convenissent,

---

[1]) Alii etiam patres cum numero famulorum, quorum subsidio Abraham reges impios devicit (Gen. 14, 14 ss.), patrum nicaenorum numerum conferunt, ut Hilarius de synodis n. 86; Ambrosius prol. l. 1. de fid. n. 5; Paschasius diaconus de Spir. s. praef.

[2]) Graece *Ἥτις πίστις ἐν τῇ ὑποστάσει καὶ τῷ ὀνόματι τοῦ ὁμοιουσίου περιεχομένη* etc. Valesius retinuit in sua versione: *in hypostasi*: Coustantius reddit: *in substantia.* Respicit Liberius verba synodi nicenae, quibus damnantur, qui dicunt Filium *ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας*, quae quidem Hilarius fragm. 2. n. 27. latine sic vertit: *ex altera substantia vel essentia.* Liquet etiam ex historia hujus haeresis, totam vel saltem praecipuam controversiam fuisse non *de persona* sed *de substantia*, utrum Pater et Filius ejusdem sint substantiae.

quo illos arianorum improbitas convocaverat eo consilio, ut aut persuasione aliqua, aut, quod verius est, secularis potentiae auctoritate coacti, id quod in fide cautissime positum fuerat tollerent, aut oblique negarent; nihil profecit illorum versutia. Etenim omnes propemodum ii, qui apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo tunc decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam ab ariminensi concilio editam anathemate damnarunt, et catholicae fidei apud Nicaeam promulgatae subscripserunt, et communione nobiscum inita, adversus Arium ejusque discipulos graviori indignatione commoventur. Cujus rei argumentum cum ipsi caritatis vestrae legati viderent, vos ipsos in subscriptione sua conjunxerunt, anathemate damnantes Arium, necnon ea quae Arimini contra fidem Nicaeae firmatam gesta sunt; quibus et vos perjuriis [1]) in fraudem inducti subscripsistis.

4. Quamobrem congruum nobis visum est, literas ad caritatem vestram scribere, et justa petentibus [2]) subvenire: praesertim cum

---

[1]) Ut ipsimet eorum legati in libello seu epistola n. 1. testantur.

[2]) Ut discamus quae illa sit justa petitio, reco-

ex professione legatorum vestrorum cognoverimus, Orientales ad sanam mentem reversos cum orthodoxis Occidentalibus consentire. Significamus autem vobis, ne sitis nescii ariminensis concilii blasphemias ab iis, qui tunc per fraudem decepti fuisse visi sunt, nunc anathemate perculsas esse, et universos conspirantibus animis in nicaenam fidem consensisse [1]). Sed et vos id omnibus

---

lendum, quorsum Orientales Romam miserint, legative eo venerint. Et ideo quidem, Socrate et Sozomeno auctoribus, legatos miserunt, quia malorum sibi a Valente imp. et Eudoxio impendentium metu perterriti, ad Valentinianum imp. et Liberium sibi confugiendum duxerunt. Basilii vero epist. 244. al. 82. sententia est, hanc eos excogitasse viam, ut maculam eluerent, corrigerentque noxam, quam tomo ab Eudoxii factione composito consentientes admiserant, vel etiam, quod idem Basilius epist. 74. de Eustathio nominatim tradit, ut prius depositi, in suas sedes restituerentur. Eo pacto Liberius petitis annuit, opem adversus Valentis et Eudoxii vexationes pollicendo, lapsis impertiendo pacem et communionem, et expulsos in sedes restituendo. Sane Eustathium, statim ut Liberii epistolam Tyanensi synodo exhibuit, in locum suum fuisse restitutum, Basilius epist. 263. al. 74. tradit.

[1]) Similia de concilio ariminensi scribit **Damasus**, Liberii successor, cum 90 episcopis ad episcopos Illyrici. Hinc epistolam illam licet alioquin praeclaram praetermittimus in hac collectione, illa

indicare debetis, ut qui per vim ac fraudem aliquod fidei suae detrimentum passi sunt, nunc tandem ex haeretica caligine ad divinam catholicae libertatis lucem valeant emergere. Qui quidem si post hoc concilium perversae doctrinae virus evomere, et omnes Arii blasphemias rejicere, easque anathemate damnare noluerint, sciant se pariter cum Ario ejusque discipulis, et reliquis serpentibus, sive sabellianis seu patropassianis aut quibuslibet aliis haereticis extraneos esse et alienos a communione Ecclesiae, quae adulterinos filios non admittit. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

---

tantum verba adducemus, quibus Damasus (cum 90 episcopis) rationem reddit, cur ariminensis synodi nulla sit auctoritas. „Neque enim, inquit, praejudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum (fidei nicenae), quando constat, neque romanum episcopum (Liberium), *cujus ante omnia oportebat eos exspectare decretum* (οὐ πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι) neque Vincentium capuanum, qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit neque alios talibus praebuisse consensum; maxime dum sicuti praediximus, isti ipsi, qui per circumventionem declinasse videbantur, ipsi denuo atentes meliori consilio, haec sibi displicere testati sunt.“ Hinc illud Siricius ep. ad Himerium tarrac. n. 2. (cf. infra) *cassatum* dicit, utique per Liberium.

Monitum in epistolam sequentem.

Inter Damasi (366—384.) epistolas haec forte praecipua est propter luculentam fidei expositionem, quae illi est adnexa. Hinc ea laudatur pro lege a Coelestino et Vigilio, et secundum Denzinger (Enchir. symbol. et definit.) videtur haec confessio suscepta a synodo constantinopol. I. a. 381. Illius scribendae haec fuit occasio. Cum Damasus novam Apollinarii haeresim latius serpere intellexisset, concilio Romae congregato (a. 377. vel 378), cui etiam Petrus alexandrinus episcopus interfuit, eam ab Ecclesia catholica alienam esse declaravit, ipsumque Apollinarium cum Timotheo ejus discipulo anathemate damnavit. Quo facto Vitalis, et ipse unus ex praecipuis Apollinarii asseclis, Antiochia Romam properavit ad Damasum, ut se ab illius haeresi purgaret, ac tum quidem verbis specie quidem catholicis Damasum sibi conciliavit. Mox vero pontifex de fallacia ejus admonitus habita synodo (a. 378. vel 379.) literas dedit ad Paulinum, Antiochiae episcopum.

quibus confessionem fidei catholicae adjunxit Vitali ejusque sociis subscribendam, qua confirmata fide nicaena omnes Apollinarii errores jugulavit. Circa hanc epistolam plures oriuntur quaestiones. Quaeritur 1) utrum una sit, an duae Damasi ad Paulinum epistolae. Arbitratur Coustantius contra Baluzium unicam esse Damasi ad Paulinum epistolam, sed duplici parte constantem, quarum prima est proprie dicta epistola, postrema vero subnexa illi fidei formula iis subscribenda, qui se catholicos probare vellent. Quaeritur 2) an geminae partis genuinus et authenticus latinus textus ad nos pervenerit. Suspicatur Coustantius confessionis fidei versionem tantum ex textu graeco nos habere. Quaeritur 3) an integra sit haec epistola. Baronius truncatam putat, sed Coustantius censet opinionem hanc carere fundamento; tantum ad integritatem eorum, quae Damasus simul ad Paulinum misit, deesse videri nicaenum symbolum, quod definitioni catholicae fidei praemissum fuisse vetera monumenta atque ipsa Damasi verba nos docent.

EPISTOLA (V.)

DAMASI PAPAE URBIS ROMAE

AD PAULINUM EPISCOPUM ANTIOCHENAE CIVITATIS.

De capitulis fidei contra Macedonium et Eunomium et Apollinarem haereticos.

Dilectissimo fratri Paulino Damasus.

---

1. Per filium meum Vitalem ad te scripta direxeram, tuae voluntati et judicio omnia derelinquens: et per Petronium presbyterum breviter indicaveram, me in articulo jam profectionis ejus aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiae copulari, tua cautio probanda differret, fidem misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est, nobis per te voluerint sociari, dilectissime frater [1]).

---

[1]) Hinc discimus idem esse *Ecclesiae copulari* et

2. Quapropter si supradictus filius meus Vitalis, et ii qui cum eo sunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in ea expositione fidei subscribere, quae apud Nicaeam pia patrum voluntate firmata est. Deinde, quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea haeresis [1]) eradicanda est, quae postea in Oriente dicitur pullulasse, id est, cofitendus ipse sapientia, sermo, Filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sen-

---

ejusdem fidei communione romano pontifici sociari. Proinde romani pontificis fides norma et regula est orthodoxiae: sed esset regula plane manca, incerta, fallax, si ab errore non esset immunis. Proinde *romanus pontifex* aliquid de fide pro auctoritate sua docens et assensum ab Ecclesiae fidelibus exigens i. e. *ex cathedra definiens* vi horum Damasi verborum *infallibilis censeri debet.* Quae egregie confirmantur omnibus iis, quae diximus opusc. t. 6. p. 37 ss. in annot. et t. 10. praefat. n. 12 ss.

[1]) Referuntur haec ad haeresim Apollinarii, secundum quam Dei Filius assumpsit quidem corpus animatum, sed caruit anima rationali, mente humana (quae infra dicitur sensus humanus), hujus vices supplente ipso Verbo. Idcirco autem negat Apollinarius Verbum assumpsisse mentem humanam, quod ea esset mutabilis ac turpibus cogitationibus obnoxia et captiva, ad quam rationem respicit hic Damasus Cf. quoque quae diximus opusc. t. 14. p. 162 ss. in annot.

sum, id est, integrum Adam, et, ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim confitentes eum humanum corpus suscepisse, non statim ei et humanas vitiorum adjungimus passiones: ita et dicentes eum suscepisse et hominis animam et sensum, non statim dicimus et cogitationum eum humanarum subjacuisse peccato. Si quis autem dixerit, Verbum pro humano sensu in Domini carne versatum, hunc catholica Ecclesia anathematizat: necnon et eos qui duos in Salvatore filios confitentur, id est, alium ante incarnationem, et alium post assumptionem carnis ex virgine, et non eundem Dei filium et ante et postea confitentur. Quicunque huic epistolae subscribere voluerit, ita tamen, ut in ecclesiasticis canonibus, quos optime nosti, et in nicaena fide ante subscripserit, hunc debebis absque aliqua ambiguitate suscipere. Non quod haec ipsa, quae nos scribimus, non potueris convertentium susceptioni proponere; sed quod tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum [1]).

---

[1]) Sensus est: Non idcirco scripsimus quod haec ipsa, quae nos scribimus, propria auctoritate motuque proprio non potueris redeuntibus ab haeresi proponere,

Confessio fidei catholicae, quam papa Damasus misit ad Paulinum Antiochenum episcopum.

3. Post concilium nicaenum, quod in urbe Roma concilium congregatum est a catholicis episcopis, addiderunt de Spiritu sancto[1]). Et quia postea is error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere, Spiritum sanctum factum esse per Filium; anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiae. Anathematizamus

---

sed scribere voluimus, ut consensus noster, cognitio ejus, quod in hisce adjunctis nos agendum sentimus, liberum i. e. expeditum, calumniis querelisque non obnoxium in suscipiendis haereticis tribuat exemplum.

[1]) Sunt haec intelligenda de concilio sub ipso Damaso Romae habito vel hoc eodem a. 378. vel a. praecedenti, in quo Apollinarius damnatus et aliqua de Spiritu s. definita sunt. Ratio autem, quare concilium nicaenum de Spiritu s. nil adjecerit symbolo apostolico, innuitur mox a Damaso, clarius a Basilio ep. 125 al. 78. exprimitur. „Sententia de Spiritu s., ita ille, in transcursu nulla adhibita diligentia, in eo (symbolo nic.) posita est, propterea quod nondum mota esset ista quaestio, sed adhuc credentium mentibus inesset nullis patens insidiis de Spiritu s. intellectus. Paulatim vero impietatis semina sese exseruerunt, quae primum quidem ab Ario haeresis auctore jactata; postea ab iis, qui prava illius commenta susceperunt, nutrita sunt."

quoque eos, qui Sabellii sequuntur errorem, eundem dicentes Patrem esse quem Filium. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, Filium et Spiritum sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutavere, sed nomen. Anathematizamus Photinum, qui Hebionis haeresim instaurans, Dominum Jesum Christum tantum ex Maria confitetur. Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, unum ante secula, et alterum post assumptionem carnis ex virgine. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationabili et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est rationabilem et intelligibilem sine peccato animam susceperit, atque salvaverit. Anathematizamus eos, qui Verbum filium Dei extensione aut collectione et a Patre separatum insubstantivum et finem habiturum esse contendunt. Eos quoque, qui de ecclesiis ad ecclesias migraverunt, tam diu a communione nostra habemus alienos, quam diu ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt constituti. Quod si

alius alio transmigrante in loco viventis est ordinatus, tam diu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit civitatem, quam diu successor ejus quiescat in Domino.

4. Si quis non dixerit semper Patrem, semper Filium, et semper Spiritum sanctum esse, anathema sit. Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est, de divina substantia ipsius, anathema sit. Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum Patrem, ejus et omnia posse, et omnia nosse, et Patri aequalem, anathema sit. Si quis dixerit, quod in carne constitutus Filius Dei, cum esset in terra, in coelis cum Patre non erat, anathema sit. Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quia induerat formam servi quam sibi acceperat, sicut ait Scriptura, anathema sit. Si quis non dixerit, quod in carne, quam assumsit, sedet ad dexteram Patris, in qua venturus est judicare vivos et mortuos, anathema sit. Si quis non dixerit, Spiritum sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divina substantia, et Deum verum, anathema sit. Si quis non dixerit, omnia posse Spiritum sanctum, omnia nosse, et ubique esse, sicut Filium et Patrem, anathema

sit. Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam aut per Filium factum, anathema sit.

5. Si quis non dixerit, omnia per Filium et Spiritum sanctum Patrem fecisse, id est visibilia et invisibilia, anathema sit. Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum atque unam voluntatem ac veritatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spirius sancti, aequales, semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes, anathema sit. Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab omni creatura, sicut Filium et Patrem, anathema sit. Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non recte habuerit, haereticus est. Quod omnes haeretici de Filio Dei et Spiritu sancto male sentientes in perfidia judaeorum et gentilium inveniuntur. Quod si quis patiatur, Deum Patrem dicens et Deum Filium ejus et Deum Spiritum sanctum, Deos dici, et non Deum propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse et scimus Patris

et Filii et Spiritus sancti; Deum subtrahens autem Filium aut Spiritum sanctum, ita solum existimet esse Deum Patrem, dici aut credi unum Deum, anathema sit. Nomen namque deorum et Angelis et sanctis omnibus a Deo est impositum et donatum: de Patre autem autem et Filio et Spiritu sancto propter unam aequalem divinitatem, non nomen deorum, sed Dei, nobis ostenditur atque indicatur: ut credamus quia in Patre et Filio et Spiritu sancto solum baptizamur, et non in archangelorum nominibus aut angelorum, quomodo haeretici aut judaei aut etiam gentiles dementes faciunt. Haec ergo est salus christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri et Filio et Spiritui sancto, in ea veram solamque unam divinitatem, et potentiam ac majestatem et substantiam eandem sine dubio credamus, ut aeternam attingere mereamur ad vitam.

EPISTOLA I.

SIRICII PAPAE AD HIMERIUM

episcopum Tarraconensem[1]).

---

1. De Arianis non rebaptizandis. 2. Ut praeter Pascha et Pentecosten baptisma non celebretur. 3. De apostatis. 4. Quod non liceat alterius sponsam in matrimonium sortiri. 5. De his qui poenitentiam minime servaverunt. 6. De monachis et virginibus propositum non servantibus. 7. De clericis incontinentibus. 8. Quales debeant ad clericatus officium pervenire. 9. De clericorum conversatione. 10. De grandaevis. 11. Quod clericus qui secundam uxorem duxerit, deponatur. 12. Quae feminae cum clericis habitare debeant. 13. De monachorum promotione. 14. Quod poenitens non fiat clericus. 15. Ut si per ignorantiam vel poenitens, vel digamus, aut viduae maritus clerici facti fuerint, non promoveantur.

Siricius Himerio, Tarraconensi episcopo.

---

1. Directa ad decessorem nostrum sanctae

---

[1]) S. Siricius episcopus romanus, qui sedit a.

recordationis Damasum fraternitatis tuae relatio me jam in sede ipsius constitutum, quia sic Dominus ordinavit, invenit. Quam cum in conventu fratrum sollicitius legeremus, tanta invenimus, quae reprehensione et correctione sint digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse nos erat, in ejus labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honorem; facto ut oportebat, primitus meae provectionis indicio, ad singula, prout Dominus adspirare dignatus est, consultationi tuae responsum competens non negamus: quia officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus major cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur: quin imo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus [1]), qui nos in omnibus, ut confidimus,

---

384—398. post Damasum, doctrina, pietate et religionis zelo praeclarus 6 vel 7 reliquit epistolas, inter quas celeberrima est haec data a. 385., prima ex decretalibus romanorum pontificum, quae tulit aetatem. Inter epistolas Siricii a Coustantio editas est prima.

[1]) Cf. quae diximus in annot. opusc. t. 10. p. 81 ss.; t. 14. p. 8 s.

administrationis suae protegit et tuetur heredes.

Cap. I. 2. Prima itaque paginae tuae fronte signasti, baptizatos ab impiis arianis plurimos ad fidem catholicam festinare et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum ariminense concilium, missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant: quos nos cum novatianis aliisque haereticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione [1]), catholi-

---

[1]) Haeretici ad Ecclesiam redeuntes iterum non baptizabantur, sed manuum impositione Ecclesiae reconciliabantur, ut ex plurimis antiquitatis monumentis colligitur; sed haec non erat confirmatoria, confirmationis sacramentum (saltem non semper), de quo supra ad ep. Cornelii egimus p. 130., ut nonnulli putarunt, licet iisdem fere verbis describatur, ut hic a Siricio: erat ea *reconciliatoria*, cui merito poterat adscribi collatio s. Spiritus, seu omnium effectuum baptismi et confirmationis, quod reditu in Ecclesiam et reconciliatione removeretur obex haeresis vel schismatis, qui sacramenta illa reddebat non quidem invalida sed infructuosa, ac proinde impediebat gratiae infusionem collationemque s. Spiritus. Censebantur proinde sacramenta illa reditu in Ecclesia, qui per-

corum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensquae custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari.

Cap. II. 3. Sequitur deinde baptizandorum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis et emendanda confusio, quae nostris consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate praesumitur, ut passim ac libere Natalitiis Christi, seu Apparitionis [1]), necnon et apo-

---

ficiebatur manuum impositione, *reviviscere*, ut saepissime Augustinus contra donatistas inculcat, ut l. 1. de baptismo c. 12. n. 18: „Non iterum baptizandus est (schismaticus ad Ecclesiam rediens), quia ipsa reconciliatione ac pace praestatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.“ Cf. l. 2. n. 11; l. 3. n. 18, 23; l. 4. n. 4; l. 6. n. 47; ep. 61. al. 223; 108. al. 256. n. 6; 141. al. 152. n. 13; tract. 6. in Joan. n. 14 ss. etc. Cf. Coustant in dissert., qua vera Stephani circa haereticorum receptionem sententia explicatur §. 5.

[1]) *Apparitionis* i. e. Epiphaniae. Antiquitus dies Paschatis et Pentecostes baptismo solemniter conferendo consecrati erant (cf. etiam Tertullianum de bapt. c. 18. opusc. t. 7), qui mos ut illaesus servaretur cum summi pontifices Siricius, Leo, Gelasius

stolorum seu martyrum festivitatibus innumerae ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur; cum hoc sibi privilegium et apud nos, et apud omnes ecclesias, dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat; quibus solis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, et exorcismis, quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati; quatenus apostolica illa impleatur praeceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat esse conspersio (1. Cor. 5, 7). Sicut sacram ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam; ita infantibus, qui necdum loqui poterunt per aetatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri; ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de seculo et regnum perdat et vitam. Quicunque etiam

---

etc., tum concilia quam plurima operam dederunt; neque tamen prohibere valuerunt, quin invalesceret per diversas regiones mos, ut baptismus praecipuis in festivitatibus conferretur.

discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis aegritudinis desperationem inciderint, et sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo poscunt momento temporis, expetitae regenerationis praemia consequantur. Hactenus erratum in hac parte sufficiat: nunc praefatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicae petrae, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli.

Cap. III. 4. Adjectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam, quod dici nefas est, transeuntes, et idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos. Quos a Christi corpore et sanguine, quo dudum redempti fuerant renascendo, jubemus abscidi [1]). Et si resipiscentes forte aliquando fuerint ad lamenta conversi, his quam diu vivunt, agenda poenitentia est, et in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda: quia, docente Domino, nolumus mortem peccatoris, tantum ut convertatur, et vivat (Ez. 18, 23).

Cap. IV. 5. De conjugali autem velatione requisisti, si desponsatam alii puellam, alter in

---

[1]) *Abscidi* i. e. excludi, mensa eucharistica privari.

matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur [1]).

Cap. V. 6. De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiae cingulum et ludicras voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus [2]), quorum professam incon-

---

[1]) Hujus cap. sensus non satis apertus est secundum Coustantium. Sensus nobis hic videtur: De conjugali velatione i. e. de matrimonio contrahendo, quod secundum Ambrosium, Siricii aequalem, velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oportebat (ep. 19. ad Vigilium n. 17), requisisti, an liceat alterius sponsam in matrimonium accipere. Idque Siricius omnibus modis prohibet, quod vel ipsa sponsalia non citra Ecclesiae benedictionem inirentur, hinc primam desponsationis fidem Ecclesiae benedictione confirmatam et sanctificatam frangere sacrilegii instar sit (et non solum contra jus naturae).

[2]) Haec erant prohibita iis, qui agebant vel qui egerant poenitentiam publicam atque solemnem. Loquitur autem hic etiam de concubitu non lege divina sed lege ecclesiastica, qua determinabatur modus agendae poenitentiae publicae, inhibito. Hinc infra vocatur ratione hujus legis *pollutio.* Sed a fortiori

tinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi [1]), id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicae autem mensae convivio segregentur; ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscoenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.

Cap. VI. 7. Praeterea monachorum quosdam atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum praetextu illicita ac sacrilega se contagione

---

haec intelligi debent de iis, qui committebant ea, quae lege divina erant inhibita.

[1]) Loquitur hic pontifex de poenitentia publica et solemni, quae semel tantum concedebatur. Cf. annot. opusc. t. 5. p. 106 ss.

miscuerint: postea vero in abruptum conscientiae desperatione perducti de illicitis complexibus libere filios procreaverint; quod et publicae leges, et ecclesiastica jura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusae in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint poenitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiae intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Cap. VII. 8. Veniamus nunc ad sacratissimos ordines clericorum, quos in venerandae religionis injuriam ita per vestras provincias calcatos atque confusos, caritate tua insinuante, reperimus, ut Jeremiae nobis voce dicendum sit: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum? et flebo populum hunc die ac nocte* (9,1). Si ergo beatus propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrymas posse sufficere; quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum, qui in nostro sunt corpore, compellimur facinora deplorare? praecipue quibus secundum beatum Paulum instantia quotidiana et sollicitudo omnium ecclesiarum indesinenter in-

cumbit. *Quis enim infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (2. Cor. 11, 29)? Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suae tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa.

9. Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum praeceptorque vitiorum: Si aestimat, quia in lege Moysi passim sacris ordinibus a Domino laxata sunt frena luxuriae, cur eos, quibus committebantur sancta sanctorum praemonet dicens: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (Lev. 20, 7)? cur etiam procul a suis domibus, anno vicis suae, in templo habitare jussi sunt sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiae integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus expleto deservitionis suae tempore, uxorius usus solius successionis causa fuerat relaxatus; quia non ex alia, nisi ex tribu Levi, quisquam ad Dei ministerium fuerat praeceptus admitti.

10. Unde et Dominus Jesus cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia Legem venerit implere, non solvere (Matth. 5,17). Et ideo Ecclesiae, cujus sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii, cum rursus advenerit, sine macula et ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quae quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. *Qui autem in carne sunt*, dicente electionis vase, *Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (Rom. 8, 8). Et ubi poterit, nisi in corporibus, sicut legimus, sanctis Dei spiritus habitare?

11. Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent: his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quam diu vixerint, officio perseverent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere. Ii vero, qui illiciti privilegii excusatione ni-

tuntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum; noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicae sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscoenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla praesentia cavere nos praemonent in futurum: quilibet episcopus, presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiae aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam [1]).

---

[1]) Hisce Siricius coelibatus legem non primum condit vel promulgat, sed quae jam in universo occidente servabatur, denuo inculcat, confirmat atque tuetur. Jam ineunte hoc seculo concilium eliberitanum a. 305. vel 306. statuit can. 33: „Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.“ Hieronymus vero Siricii aequalis testatur ep. 48. ad Pammachium n. 21: „Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici;“ et adversus Jovinianum scribit (l. 1. n. 34): „Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tene-

Cap. VIII. 12. Didicimus etiam, licenter ac libere inexploratae vitae homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad praefatas dignitates, prout cuique libuerit, adspirare. Quod non tantum illis, qui ad haec immoderata ambitione perveniunt, quantum metropolitanis specialiter pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus connivent, Dei nostri, quantum in se est, praecepta contem-

---

bitur, sed quasi adulter damnabitur.“ Cf. quoque auctorem qq. in V. et N. T. append. op. s. Augustini. Hinc cum tam universalis esset haec consuetudo in re tam difficili, haud incongrue ea ex apostolica traditione vel institutione repetitur, quod etiam hic non obscure significat Siricius, neque ipse tam acriter inveheretur in coelibatus transgressores, si res esset tantum consuetudinis et non altiori quadam auctoritate instituta. Clarius vero id significat concilium africanum quinquennio post editam hanc epistolam celebratum (a. 390.) c. 3: „Episcopos, presbyteros et diaconos ita placuit, ut condecet sacros antistites et Dei sacerdotes necnon et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut *quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas*, nos quoque custodiamus.“ Ceterum cum hac Siricii epistola cf. utiliter possunt ejusdem ep. 5. ad episc. Africae n. 3; ep. 10. (infra II.) n. 5 ss. ep. 2. Innocentii I (in nostra ed. I.) n. 12; ep. 6. (hic II.) n. 2. etc.

nunt. Et ut taceamus quod altius suspicamur, ubi illud est, quod Deus noster data per Moysen lege constituit dicens: *Sacerdotes mei semel nubant*? et alio loco: *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem* (Lev. 21, 13)? Quod secutus Apostolus ex persecutore praedicator, *unius uxoris virum* tam sacerdotem quam diaconum fieri debere mandavit (I.Tim. 3, 2). Quae omnia ita a vestrarum regionum despiciuntur episcopis, quasi in contrarium magis fuerint constituta. Et quia non est nobis de hujusmodi usurpationibus negligendum, ne nos indignantis Domini vox justa corripiat, qua dicit: *Videbas furem et currebas cum eo, et ponebas tuam cum adulteris portionem* (Ps. 49, 18): quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus.

Cap.IX. 13. Quicumque itaque se Ecclesiae vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari. Qui accessu adolescentiae [1]) usque

---

[1]) Iste *adolescentiae accessus* vigesimo aetatis anno computabatur, ut patet ex Zosimi ep. 9. ad Hesychium c. 3: „Si ab infantia ecclesiasticis officiis nomen dederit, inter lectores usque ad 20. aetatis annum continuata observatione perduret.“

ad tricesimum aetatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum, et ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, acolythus et subdiaconus esse debebit; postque ad diaconii gradum, si se ipse primitus continentia praeeunte dignum probarit, accedat. Unde si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue presbyterium consequatur. Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per haec tempora integritas vitae ac fidei ejus fuerit approbata.

Cap. X. 14. Qui vero jam aetate grandaevus, melioris propositi conversione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere, et hanc virginem accepisse, constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconium, si per haec tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde jam accessu temporum presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis edecumarit [1]) electio, non immerito sortietur.

---

[1]) *Edecumarit* idem significat ac *e decem* (hoc

Cap. XI. 15. Quisquis sane clericus aut viduam, aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur, laica tantum sibi communione concessa, quam ita demum poterit possidere, si nihil postea, propter quod hanc perdat, admittat.

Cap. XII. 16. Feminas vero non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus nicaena permisit [1]).

Cap. XIII. 17. Monachos quoque, quos tamen morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut qui intra tricesimum aetatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoveantur ordinibus: et sic ad diaconatus

---

numero vice omnium posito) unum meritis praecellentem ostenderit, censuerit. Cf. Coustantium in h. l.

[1]) Can. 3. quo interdicit concilium nicaenum: Non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam mulierem (συνείσακτον) habere: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quae suspicionem effugiunt.

vel presbyterii insignia maturae aetatis consecratione perveniant. Nec saltu ad episcopatus culmen adscendant, nisi in his eadem, quae singulis dignitatibus superius praefiximus, tempora fuerint custodita.

Cap. XIV. 18. Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum [1]), ita et post poenitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Cap. XV. 19. Et quia his omnibus, quae in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur, cui nos interim, solius pietatis intuitu, necesse est clementer ignoscere: quicunque poenitens, quicunque bigamus, quicunque viduae maritus, ad sacram militiam indebite et incompetenter irrepsit, hac sibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare be-

---

[1]) Sunt haec intelligenda de publica et solemni poenitentia. Cf. quae passim annotavimus ad Optati ll. de schismate donatist. t. 10. p. 30, 55, 64 etc.

neficio, si adempta sibi omni spe provectionis, in hoc in quo invenietur ordine perpetua stabilitate permaneat; scituri posthac omnium provinciarum summi antistites, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint assumendum, et de suo et de eorum statu, quos contra canones et interdicta nostra provexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam.

20. Explicuimus, ut arbitror, frater carissime, universa quae digesta sunt in querelam: et ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad romanam ecclesiam, utpote ad caput tui corporis retulisti, sufficientia quantum opinor responsa reddidimus. Nunc fraternitatis tuae animum ad servandos canones et tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus, ut haec quae ad tua rescripsimus consulta, in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, et non solum eorum, qui in tua sunt dioecesi constituti, sed etiam ad universos carthaginienses ac boeticos, lusitanos atque gallicios, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, haec, quae a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub literarum tuarum prosecutione mittantur. Et quamquam sta-

tuta sedis apostolicae, vel canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum: utilius tamen et pro antiquitate sacerdotii tui dilectioni tuae esse admodum poterit gloriosum, si ea, quae ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuae sollicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur: quatenus et quae a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia cautela et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus in posterum excusationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obstruatur. Data [1]) tertio Idus Februarias, Arcadio et Bautone consulibus.

---

[1]) Data 2. Febr. a. 385. Ceterum notetur statuta sedis apostolicae canonibus conciliorum adjungi, atque esse normas, secundum quas ecclesiae sint administrandae, quas proinde *nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum.*

EPISTOLA II.

SEU CANONES SYNODI ROMANORUM AD GALLOS EPISCOPOS [1]).

1. De virgine quae jam in Christo velata est, similiter et quae nondum velata est. 2. De eo quod sacerdotes bonorum operum plebibus forma fiant, et de castitate et continentia sacerdotum, et eo, qui seculo militaverit. 3. De consuetudine ecclesiae romanae in clerum: et de eo quod catholicorum episcoporum una confessio et una disciplina esse debet. 4. De sacramento baptismatis et oleo exorcizato, et eo qui sororem uxoris suae duxerit uxorem. 5. De iis qui seculi adepti sunt potestatem. De eo qui avunculi sui duxerit uxorem. De ordinatione clericorum. Et de clericis alienis. 6. Similiter de episcopo transgrediente proprios terminos. De laicis excommunicatis, et ab alio episcopo clericis factis.

---

1. Dominus inter cetera salutaria mandata, quibus discipulos suos apostolos ad

---

[1]) Hos canones seu decreta antiquissima eorumque auctorem antiquiorem esse s. Leone dubium non est;

spem vitae hortatur et commonet, sicut et nos evangelica verba docuerunt, hoc etiam mandat, ut solliciti ad veritatis scientiam pervenire laboremus. Et primo cognoscamus incognita non inani profectu, sed labore et sollicitudine, et quae nota necdum sunt, precibus investiganda. Notiora, quae vero difficilia sunt [1]), instanter quaerenda praecepit; quae clausa sunt, fidei virtute pulsando precibus petere sibi debere reserari. Sic enim scriptum est: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate et aperietur vobis* (Matth. 7, 7). Nemo certe qui non petit accipit, et qui non quaerit invenit, et qui non pulsaverit,

---

controvertitur tantum, utrum Innocentio I. an Siricio sint adscribenda, cum in utriusque epistolis decretalibus similia occurrant. Coustantius tamen postquam dubius haeserat, re diligentius examinata et hisce decretis accurate cum Siricii epistolis collatis illa demum statuit Siricio tribuenda. Cum vero hisce decretis plurima ad veterem Ecclesiae disciplinam spectantia contineantur, noluimus illa praetermittere. Eruta quidem sunt e codicibus vetustis, sed non sat castigatis, hinc in sananda lectione nonnunquam corrupta conjecturis virorum doctorum relinquitur locus. Inter epistolas Siricii in edit. Coustantii occupant haec decreta locum X.

[1]) Secundum Coustantium hic locus ita intelligendus: Quae autem notiora quidem, sed difficilia sunt etc.

eidem poterit aperiri. Qua de re quoniam quod ex fide petitur, praestatur; et quod erat obscurum, manifestum in sensum dum investigatur acquiritur (f. aperitur); et quod erat clausum nobis, frequentius pulsando, id est rogando, revelatur: *Omnis* enim *qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur:* unde eadem repetere mihi quidem non est molestum, vobis enim necessarium est.

2. Scimus, fratres carissimi, multos episcopos per diversas ecclesias ad famam pessimam nominis sui humana praesumptione patrum traditionem mutare properasse, atque per hanc causam in haeresis tenebras cecidisse, dum gloriam hominum delectantur potius, quam Dei praemia habere, perquirere. Nunc igitur, quia non explorandi causa, sed fidei confirmandae gratia, sanctitudo vestra ex sedis apostolicae auctoritate sciscitari dignata est seu legis scientiam seu traditiones, volens a nobis manifestari liberius quaestionum propositarum expositionem, quam sincere quaeritis et desideranter: audite quantum replebit divina dignatio, licet mediocri sermone, valido tamen sensu eloquar obtinenda, ad emendandas omnes quippe diversitates, quas (f. quibus) discordare arroganti[a]

sola praesumsit, Scriptura divina dicente, *Rejecistis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis*(ib.15,6). Si ergo integra cupitis fide veras observationes agnoscere, dignamini quae dico libenter advertere. Primo in loco pudoris mihi et pudicitiae causa proponitur. Deinde congestae quam multae quaestiones edentur. Singulis itaque propositionibus suo ordine reddendae sunt traditiones.

Cap. I. 3. Quaeritur de virginibus velatis et mutato proposito, quid exinde judicatum sit.

Si virgo velata jam Christo, quae integritatem publico testimonio professa, a sacerdote prece fusa benedictionis velamen accepit, sive incestum commiserit furtim, seu volens crimen protegere [1]), adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis, ut quae sponsa Christi fuerat, conjux hominis diceretur: in hujusmodi muliere quot sunt causae, tot reatus; integritatis propositum mutatum, velamen amissum, fides prima depravata atque in irritum devocata. Quali hic et quanta satisfactione opus est? quam magna poenitentia ejus quae interitum carnis incurrit? Non est parva culpa reliquisse Deum, et

[1]) *Protegere* i. e. tegere.

ivisse post hominem. Unde annis quam plurimis deflendum ei est, quo dignae fructu poenitentiae facto possit aliquando ad veniam pervenire, si tamen poenitens [1]) poenitenda faciat.

4. Item puella, quae nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata, tamen quia proposuit, et in conjugio velata non est, furtivae nuptiae appellantur, ex eo quod matrimonii coelestis praeceptum [2]) non servaverit, amore properante ad libidinis caecitatem. Et [3]) his poenitentiae agendae tempus constituendum est: quoniam seu rapta, seu volens, ad

---

[1]) Hic addendum esse *non* Labbeus notat. Illic tamen et *poenitenda* intelligere licet, quae poenitenti agenda praescribuntur, hoc est opera, quibus crimini satisfaciat, illudque expiet, uno verbo dignos poenitentiae fructus.

[2]) Mallemus, inquit Coustantius, matrimonii coelestis *propositum* (seu sponsionem) non servaverit.

[3]) Orationis series postulat, *et huic*. Sed hic identidem mutatur sermo, ut quod generatim de puellis praemissum fuerat, mox de una singulariter efferatur. Puella autem, quae etiamsi rapta et vim passa, ire ad virum consensit, rea et poenitentiae obnoxia pronunciatur duplici de causa: primo quia consuetum ordinem ad sollemne velamen recipiendum non tenuit; deinde quia contra legis praeceptum sibi vim facienti non reclamavit. Coustantius.

virum ire perverso ordine consensit, nec propinquorum, nec sacerdotum testimonio conrogato tales ad velamen sollemnitatis ordinem casto pudore tenuerunt; sed contra veteris Testamenti praeceptum fecerunt. Quos Lex lapidari praecepit, et nunc cessante illa vindicta, spiritaliter feriuntur: ut ecclesiam tamquam mortui introire non possint. Habent tamen poenitentiae agendae locum, cito non habent veniam: quoniam si secundum Legem proclamasset puella, et diu contestata se continuisset, utique fuisset immunis a culpa. Utrisque ergo expedit sub eadem temporis constitutione a communione suspendi, dignam agere poenitentiam, fletu, humilitate, jejunio, misericordia redimere crimen admissum.

Cap. II. 5. Et jam quidem frequenter [1]) de talibus sermo noster per plures manavit ecclesias, maxime de sacerdotibus, quorum

---

[1]) Hic supplenda videtur quaestio de clericis incontinentibus sedi apostolicae ante proposita: ut quomodo initio capitis 1. praeponitur „Quaeritur de virginibus velatis“ etc. ita et huic anteponendum sit, „Quaeritur de sacerdotibus, presbyteris et diaconis qui continentiam non servant“ etc. De his autem Siricii sermo per plures ecclesias manavit ep. praec., ipso etiam Innocentio teste epist. 6. n. 4.

meritum exigit, ut bonorum operum suorum sint plebibus forma. Sed quantum intelligo, cum Scriptura dicat: *Loquere ad aures audientium*, instruendo aures infundemus. Dum saepe eadem repetunt, quae neglectui habentur a singulis, vere hoc illud est, quod dictum est ad adulterum sexum: *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (2. Tim. 3, 7). Quando enim non servatur quod admonetur utiliter, apostolica mandata quasi ignota contemnuntur: judicium tamen de his quae commiserunt non potest immutari. Id de sacerdotibus [1]). Primo in loco statutum est de episcopis, presbyteris et diaconibus, quos sacrificiis divinis necesse est interesse, per quorum manus et gratia baptismatis traditur, et corpus Christi conficitur; quos non solum nos, sed et Scriptura divina compellit esse castissimos, et patres quoque jusserunt continentiam corporalem servare debere, qua de re non praetereamus, sed dicamus et causam. Quo enim pudore viduae aut virgini ausus est episcopus vel presbyter integritatem vel continentiam praedicare, vel suadere castum cubile servare,

---

[1]) Haec verba e margine in textum videntur irrepsisse. Cf. cum his ep. c. 7. praec.

si ipse seculo magis institit filios generare, quam Deo? Adam, qui praeceptum non servavit, ejectus foras paradisum caruit regno, et praevaricatorem putas posse ad regna coelestia pervenire? Ob quam rem Paulus dicit: *Vos jam non estis in carne, sed in spiritu* (Rom. 8, 9): et item: *Et qui habent uxores, ita sint quasi non habeant* (1. Cor. 7, 29)? An qui populum (supple *sic*) hortatur, et levitis et sacerdotibus blandiens licentiam praeberes opus exhibere carnale, idem ipse dicens: *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiit* (Rom. 13, 14): et alibi: *Vellem autem omnes sic esse sicut me ipsum* (1. Cor. 7, 7)? Qui [1]) militat Christo, qui in sede residet magistri, qui militiae disciplinam non potest custodire?

6. De his itaque tribus gradibus, quos legimus in Scripturis, a ministris Dei munditia praecepta est observari, quibus necessitas semper in promptu est. Aut enim baptisma tradendum est, aut offerenda sunt sacrificia. Numquid immundus ausus erit contaminare quod sanctum est, quando quae sancta sunt, sanctis sancta sunt? Denique illi, qui in templo sacrificia offerebant, ut mundi essent, toto anno in templo, solo ob-

---

[1]) *Qui* i. e. quomodo.

servationis merito, permanebant domus suas penitus nescientes. Certe idololatrae, ut impietates exerceant, et daemonibus immolent, imperant sibi continentiam muliebrem, et ab escis quoque se purgari volunt: et me interrogas, si sacerdos Dei veri, spiritalia oblaturus sacrificia, purgatus perpetuo debeat esse, an totus in carne carnis curam debeat facere? Si commixtio pollutio est, utique sacerdos stare debet ad officium coeleste praeparatus, qui pro alienis peccatis est postulaturus, ne ipse inveniatur indignus. Nam si ad laicos dicitur: *Abstinete vos ad tempus ut vacetis orationi* (1. Cor. 7. 5), et illi creaturae utique generatione deserviunt; sacerdotes tale possunt habere nomen meritum habere non possunt. Quod si ita est, et permanet praesumptio, oportet jam episcoporum vel presbyterorum aut diaconorum disci ne cum publicanorum vita sociari [1]). Quamobrem,

[1]) Coustantius hanc emendationem proponit: Jam episcoporum, presbyterorum aut diaconorum *discrimen* cum publicanorum vita sociari, h. e. si episcopis, presbyteris aut diaconis incontinentia permittitur, oportet illos in eodem vivendi genere cum publicanis sociari. Infra autem n. 8. *publicanus* sumitur ut solutus a lege, et ei opponitur, qui *observat legem*.

mihi carissimi, hujusmodi hominibus coinquinatis et infidelibus, in quibus sanctitudo corporis per illuviem et incontinentiam videtur esse polluta, mysterium Dei credere non oportere, veneratione religionis ipsa suadente, moneo. Hos enim et ratio justa secernit. Audiant certe: *Quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam* (ib. 15. 50). Et audet presbyter aut diaconus animalium more subjacere [1]) contendere?

7. Item de eo, qui militaverit jam fidelis militiae seculari, notitia est, quod utatur publica libertate. Quis enim potest illum custodire? quis negare vel spectaculis interfuisse, vel pecuniae utilitate impulsum a violentia et injustitia immunem esse [2]) non potuisse?

Cap III. 8. Romana ecclesia hoc specialiter custodit, ut si quis parvulus baptizatus integritatem corporis servaverit, admitti potest ad clerum: vel si quis major fuerit baptizatus, et manserit pudicus, unius uxoris vir, potest clericus fieri, si nullis aliis criminum vinculis

[1]) Supple, *corruptioni* scilicet carnis.

[2]) Particulam negantem, quae in ms. deerat, Sirm. supplevit. Vide Innocentii epistolam 2. n. 11.

alligetur. Ceterum qui corruperit carnalibus vitiis aquae sacramenta, post fornicationem etiamsi ducat uxorem, quomodo poterit ad dimittenda peccata ministerio assistere, qui prioris vitae repetierit caecitatem? Quomodo illud intelligitur: *Neque fornicarii, neque idololatrae* et ceteri tales, *regnum Dei possidebunt* (ib. 6, 9), si nihil inter bonum et malum, inter justum et impium, inter luxuriosum et pudicum, inter observantem legem et publicanum intersit? Fient tales ministri vel sacerdotes, non Christi, sed potius antichristi. Et ubi est illud, quod sanctus apostolus Paulus, qui formam tulit episcopi, qualis esset ordinandus, ante praecepit dicens: *Irreprehensibilem, sobrium et pudicum* (1.Tim.3, 2) etc. Quomodo hic irreprehensibilis est, qui baptismi sacramentum non potuit custodire? O nova praesumptio! Huic sacerdotium creditum, cui poenitentia sola debetur, ut sordidata longa satisfactione veniae beneficia possit abluere.

9. Catholicorum episcoporum unam confessionem esse debere apostolica disciplina composuit (commonuit). Si ergo una fides est, manere debet et una traditio. Si una traditio est, una debet disciplina per omnes ecclesias custodiri. Diversis in regionibus

quidem ecclesiae sunt conditae: sed per omnem mundum unitate fidei catholicae una est appellata. Nam et sic legimus: *Una est columba mea, una est perfecta mea, una est genitrici suae* (Cant. 6, 8). Non ergo nunc de baptismi ratione, sed de tradentium persona rescribo.

10. Paschae tempore presbyter et diaconus per paroecias dare remissionem peccatorum, et ministerium implere consueverunt, etiam praesente episcopo in fontem quoque ipsi descendunt; illi in officio sunt, sed illius [1])

---

[1]) Baptizandi jus ad episcopum proprie pertinere veterum doctrina est. Hinc Ignatius ad Smyrnenses scribit, „non esse licitum sine episcopo neque baptizare." Tertullianus lib. de baptismo c. 17. : „Dandi quidem (baptismi) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: deinde presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate." Hieronymus dial. adversus Lucif.: „Unde venit, ut sine episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi." Quocirca ubi episcopum abesse contingebat, baptisma Paschae et Pentecostes diebus sollemniter conferri consuetum omittebatur, ut noster Edmundus Martene to. 1. de antiq. eccl. rit. pag. 14. et seq. pluribus probat. Cum igitur proxime dicuntur presbyter et diaconus in fontem descendere „etiam praesente episcopo," subaudiendum est „et jubente:" sicut cum concilium Hispalense II. anno 619. celebratum c. 7. decernit, „neque coram epi-

nomini facti summa conceditur. Reliquis vero temporibus, ubi aegritudinis necessitas consequi unumquemque compellit, specialiter presbytero licentia est per salutaris aquae gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam et munus ipsi licet causa mundationis offerre, diaconis vero nulla licentia invenitur esse concessa: sed quod semel forte contigit usurpare, per necessitatem dicuntur excusari, nec postea in securitate [1]) commissuri.

---

scopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec praesente antistite infantem tingere," subintelligendum „nisi ipse jubeat." Eo pacto componuntur atque conciliantur illa decreta in speciem pugnantia, et antiquae disciplinae probantur consentanea. Et merito quidem hic episcopi nomini summa conceditur facti, quod ejus jussu presbyter ac diaconus tamquam ipsius ministri agunt. Coust.

[1]) Hic specialis vindicatur presbyterorum potestas, si vel aegrotos vel etiam infantes baptizari quaedam ratio postulat, reprimiturque insolentia diaconorum, qui parem sibi potestatem arrogabant. Eis tamen non negatur, ubi necessitas urget, baptismi conferendi facultas. Tum enim hoc, inquit Tertullianus de bapt. c. 17. „etiam laicis jus est . . . Proinde et baptismus, aeque Dei census, ab omnibus exerceri potest." Nec negari potest in ipso nascentis Ecclesiae ortu sacramentum hoc a Philippo diacono fuisse collatum. Sed cavetur, ne quod necessitate postulante diaconis licet, ipsi speciali jure sibi licere arbitrentur. Coust.

11. De oleo sane exorcizato capiendusne brevis numerus dierum, multus in hoc proficit sermo [1]). Fide enim quis sua plena purgatur. Si enim chrisma infusum capiti gratiam suam toto corpori impertit, nihilo minus et tertio scrutinio scrutatus si oleo fuerit contactus non saepe, sed semel, virtute sua Deus operatur in tempore.

12. De eo, qui sororem uxoris suae duxerit uxorem, in lege veteris Testamenti scriptum est. ad suscitandum semen defuncti fratris oportere ducere uxorem, ita tamen, si liberos ex eadem minime reliquisset. Inde est enim, quod Joannes Baptista contradixit

---

[1]) Loquitur hic de inunctione praevia baptismo, de qua cf. Cyrillum hieros. cat. 2. opusc. t. 7. sed locus videtur mendosus atque implexus, ut quid Siricius decernat non satis clareat. Coustantius putat eum sic posse resarciri: *capiendo* (seu suscipiendo) *nec brevis numerus dierum nec multus proficit, sed sermo*, quo scil. istud oleum benedicitur. Fides autem plena, qua quis purgatur, est fides baptismo obsignata, baptismi enim susceptio plena est fidei christianae confessio. Videtur dein significare Siricius, unam sufficere unctionem et quidem solius capitis in tertio scrutinio, quod baptismo solebat praemitti et quo episcopus scrutabatur e catechumenis, qui baptismo digni essent, cum Deus non successive, sed semel hujus inunctionis effectum operetur.

Herodi, quoniam non licebat ei accipere uxorem, quia de fratre reliquerat filios. Tamen propter virilem generationem Legis constitutio imperabat hoc fieri a viro: de feminis nusquam est lectum, sed forte praesumtum. Nam Lex dicit: *Maledictus qui cum uxoris suae sorore dormierit* (Lev. 18, 18). Numquid qui duas habuit uxores Jacob uno in tempore sorores causa mysterii, et concubinas, et omnes qui nati sunt, patriarchae sunt appellati, nunc jam [1]) christianus habere non permittitur? Numquid qui uxores et concubinas habuerunt? Sed nunc hoc non patitur fieri Testamentum, ubi amplius de integritate tractatur, et castitas Christo docente laudatur, cum dicit: *Non omnes capiunt verbum Dei, sed quibus datur* (Matth. 19, 11).[2])

---

[1]) Sirm. „Christianis," et superius, „Numquid duas" et inferius, „numquid uxoris," omisso utrobique *qui* praeter archetypi fidem. Si autem pro illo *qui* substituatur *quia*, integra fiet oratio in hunc modum: „Numquid quia duas habuit uxores Jacob . . . et concubinas, et (ex eo) omnes qui nati sunt, patriarchae sunt sunt appellati; nunc jam christianus habere non permittitur? Numquid quia (alii) uxores et concubinas habuerunt, sed nunc" etc. Sed si latent ipsa verba, argumenti sensus et Siricii sententia non latet, quaedam scilicet antiquis concessa esse, quae christianis prohibentur. Coustantius.

[2]) Quaestioni huic, de eo qui sororem „uxoris suae

Cap. V. 13. Eos praeterea, qui secularem adepti potestatem jus seculi exercuerunt, immunes a peccato esse non posse manifestum est. Dum enim et gladius exseritur, aut judicium confertur injustum, aut tormenta exercentur pro necessitate causarum, aut parandis exhibent voluptatibus curam, aut praeparatis intersunt, in his se, quibus renunciaverunt, denuo sociantes, disciplinam observationis traditam mutaverunt. Multum sibi praestant, si non episcopatum affectent; sed propter haec omnia agentes poenitentiam, certo tempore impleto mereantur altaribus sociari. Nicaenum concilium (leg. In nicaeno concilio), divino spiritu annuente, dum fidei confessio fuisset jure firmata, etiam apostolicas traditiones episcopi in unum congregati ad omnium notitiam pervenire voluerunt, definientes inter cetera, neque abscisum clericum fieri, quoniam ab-

---

duxerit," adjungenda videtur altera, Item de eo, qui avunculi uxorem duxerit, cum subnexa responsione, quae habentur initio num. 14. Haec quippe loco mota esse inde manifestum est, quod secunda pars ejusdem numeri 14. non cum proxime antecedentibus, sed cum postremis numeri 13. verbis cohaereat.

scisus et mollis non introibunt in sanctuarium Dei (Deut. 23. 1.)[1]). Deinde post baptismi gratiam, post indulgentiam peccatorum, cum quis seculi militia fuerit gloriatus, vel illum, qui purpura et fascibus fuerit delectatus, ad sacerdotium aliqua irruptione minime admitti jusserunt[2]). Meritis enim et observationibus legis ad istiusmodi dignitatis culmen accedunt, non Simonis pecunia, vel gratia quis poterit pervenire, aut favore populari. Non enim quid populus velit, sed quid evangelica disciplina, perquiritur. Plebs tunc habet testimonium, quoties[3]) ad digni alicujus meritum, reprehendens auram favoris, impertit.

---

[1]) Cf. Nic. can. 1, 2, 9.

[2]) Coustantio videtur Siricium respicere can. 13. concilii sardicensis (10. textu graeco) in quo legimus: „Si forte aut dives aut scholasticus de foro aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur nisi . . . per longum tempus examinata sit vita et merita fuerint comprobata.“ Simoniacae labis corruptionem pariter notat idem conc. can. 2.

[3]) Restituendum videtur „quoties id ad digni alicujus meritum repellens auram favoris impertit. Quisque (seu Quisquis) tamen contra canones apostolicos facere usurpaverit,“ rejectis intermediis, uti praediximus, post quaestionem n. 12. propositam.

14. Item de eo qui avunculi sui uxorem duxerit. Avunculi filiam ducere non licet: quoniam similis causa generando per gradus patris extranei separatur atque purgatur: retro autem redire fas non est. Nam qui torum patris vel matris violare praesumpserit, non hoc conjugium, sed fornicatio nominatur.

Quisque tamen contra canones apostolicos[1]) facere usurpaverit, privandus est sacerdotio, si pertinax fuerit: si vero correxerit, aboleatur quod praesumptum est, ut possit reconciliatus nostrum habere consortium.

15. De ordinationibus maxime observandum est, ut semper clerici[2]) fiant episcopi,

[1]) Non designantur hic canones, qui apostolorum nomine circumferuntur, sed eam potius regulam ac normam, quam ap. Petrus Simonis nequitiam acriter increpando Ecclesiae sequendam praescripsit, canonum apostolicorum nomine hic indicari existimat Coustantius.

[2]) Hoc est, ut episcopi e clericorum numero, ubi idonei probentur, non e laicorum turba assumantur. His consentanea sunt quae nicaenum concilium can. ., sardicense can. 13. Siricius tum epist. 1. n. 13. et 14. tum maxime epist. 6. n. 2. et 5. praecipiunt. Ambrosius e laico episcopus factus ordinationem suam quomodo excuset, vide in epistola ipsius 63. ad Vercell. n. 65. Coust.

Sic enim scriptum est: *Et hi primo probentur, et sic ministrent* (1. Tim. 3, 10). Qui non probatur tempore praecedenti in minori officio ministrasse, quomodo praeponitur clero? Non est auditum, necdum tyronem militum imperium suscepisse. Is ergo debet fieri, quem aetas, tempus, meritum commendat, et vita. Aut quare Apostolus neophytum prohibet (Ibid. 6.), et cito manus alicui imponi non permittit (1. Tim. 5. 22.)?

16. Item de his, qui de ecclesia ad ecclesiam transeunt, jussi sunt haberi, quasi relicta uxore ad alienam accesserint; quod impunitum esse non possit. Talem episcopum invasorem pudoris alieni episcopatu privari[1]) jusserunt.

---

[1]) Et hic indicari videtur sardicensis canon 1. Nam licet nicaeno canone 15. caveatur, ne quis episcopus de civitate in civitatem transeat, nequaquam tamen jubet eadem synodus, ut translatus episcopatu privetur, sed ut „propriae ecclesiae restituatur, in qua ordinatus est.“ At „nec laicam communionem habeat qui talis est,“ canon sardicensis praecipit. Ad hunc quoque canonem pro nicaeno habitum respicere videtur Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, ubi scribit, „hoc in nicaena synodo a patribus esse decretum, ne de alia ad aliam ecclesiam episcopus transferatur; ne virginalis pauperculae societate contempta ditioris adulterae quaerat amplexus.“ Ibi certe concinit ille Doctor his Osii in mox dicto canone: „Cum

Cap. VI. 17. Item de clericis alienis ex synodo frequenter est pertractatum atque firmatum, et ratio justa constringit, clericos abjectos de ecclesia ab episcopo suo nec laicam communionem accipere posse in aliena ecclesia, (supple, quod) confirmatum manifestatumque est, quando etiam innocens sine litteris episcopi sui vel formata, in aliena ecclesia non potest ministrare. Si quis autem in injuriam sacerdotis hoc facere praesumpserit, et condemnatum clericum suscipere vel promovere voluerit, sciat se communicasse peccatis alienis, et incurrisse sententiam Apostoli, qui ait, reos esse *non solum qui faciunt* contra legem, *sed etiam qui consentiunt facientibus* (Rom. 1,32). Unde dimittendum est conscientiae illius, qui de suo clerico judicavit, sciens quod de judicio ejus Deus sit judicaturus in posterum. Audi Dominum dicentem: *Quae enim vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* (Matth. 7,12). Quid in injuriam fratris et consacerdotis armaris? Cum enim reus non solum suscipitur clericus [1]) abjectus, sed etiam promovetur, in-

---

nullus in hac re inventus sit episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret."

[1]) Ut clerici ab episcopo suo abjecti ab aliis non

justus judicatur episcopus. Hoc quisque facit, sciat se a catholicorum societate seclusum et communionem sedis apostolicae non habere jam posse.

18. Illud praeterea satis grave est, et contra episcopalem moderationem sedis apostolicae, suos fines excedere, ad alienam tendere regionem, festinare, ordinationes celebrare[1]) praeceptis metropolitanum episcopum non permittere in sua dioecesi una cum vicinis episcopis, sicut 318 episcopi confirma-

recipiantur, constituunt concilium nicaenum can. 5. et sardicense can. 16. Item nicaenum concilium can. 17. et sardicense can. 18. et 19. clericum alterius sine episcopi ipsius consensu promoveri seu ordinari prohibent, ratamque haberi nolunt hujusmodi ordinationem.

[1]) Pro *praeceptis*, quod archetypum mendose prac se fert, substituit Sirm. *prae ceteris.* Pari jure restituere liceret praesertim, aut praesumere. Tum deinde legendum videtur, „metropolitano episcopo non permittente.“ Nisi forte quis malit admittere pro permittere. In Galliis autem sub initium seculi 4. quam frequens esset ordinationum vitium, quod nunc coercetur, testis est taurinensis synodus intra annum 398. et 403. habita can. 3. ubi quatuor episcopi „de usurpatione quadam in ordinatione sacerdotum ad invidiam vocantur.“ Vide concilium arelatense II. can. 5. 6. et 42.

runt [1]), tres vel eo amplius sacerdotes episcopum ordinare debere, vel subrogare dignissimum. Si quis certe fines alterius possessionis invaserit, reus violentiae judicatur. Quid curritur? quid festinatur, ut regula ecclesiastica conculcetur? Leges humanae tenentur: et divina praecepta contemnuntur. Praesens gladius formidatur et temporalis poena: divina vero vindicta, quae habet flammas gehennae perpetuas [2]), negligitur. Videritis quae praesumptio fecerit. Ex hoc si quis in aliena dioecesi ausus fuerit ordinationem facere praesumere, sciat se de statu suo posse periclitari, qui alienam ecclesiam invadere praesumpserit. Non est seculare aliquid, non sunt mundanae promotiones. Audiamus Apostolum dicentem: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis: te ipsum castum custodi* (1. Tim.5,22). Si legantur scripta, et timor divinus sit in nobis, omnia scandala poterunt separari, et

---

[1]) Conc. nic. Can. 4, 6. Cf. etiam praecedentem Siricii ep. n. 14.

[2]) Verbum *negligitur*, quod archetypo deest, e Sirm. mutuamur. Vel illud, aut *non timetur*, seu *spernitur*, aut quid simile librario excidisse planum est.

unanimitas per omnes fratres placida plenaque caritate consistere.

19. Praeterea etiam laici dicuntur a communione cognita causa seclusi, et ab alio episcopo clerici facti: hoc jam super omne malum est. Unde aut conventi corrigant qui talia ausi sunt facere, ita ut removeantur, quibus indigne ordo collatus est, aut ad nos nomina eorum deferantur, ut sciamus a quibus nos abstinere debeamus.

20. Sciat ergo vestra sinceritas, quod si haec omnia suo ordine ut certa sunt observentur, nec Deus offenditur, nec schismata generantur, nec haereses exsistunt: sed dicent gentes, quoniam vere Deus in nobis est Christus Dominus noster, qui vivit et regnat apud Patrem cum Spiritu sancto, in aeterna secula seculorum. Amen.

EPISTOLA I.

INNOCENTII PAPAE

ad

VICTRICIUM EPISCOPUM ROTOMAGENSEM.

1. Ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus episcoporum audeat ordinare. 2. Ut post remissionem peccatorum non admittatur ad clerum qui cingulum militiae habere elegerit. 3. Ut omnes contentiones vel causae inter clericos cujuslibet ordinis exortae, coram provincialibus, id est suis episcopis, terminentur. Ut majores causae ad sedem apostolicam post episcopale judicium referantur. 4. Ut clericus virginem uxorem accipiat. 5. Ut laicus sive ante baptismum, sive post baptismum, si viduam uxorem acceperit, non admittatur ad clerum. 6. Ut qui secundam duxerit uxorem, clericus ordinari non debeat, etsi ante baptismum fuerit sortitus connubium. 7. Ut de aliena ecclesia clericum ordinare nullus usurpet. 8. Ut venientes a Novatianis vel Montensibus baptizati per manus tantum impositionem suscipiantur. 9. Ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant. 10. Ut monachus si ad clericatus ordinem niti voluerit, a priori proposito, quod monachus gessit, non debeat deviare. 11. Ut qui corruptus ad clericatum venire voluerit, spondeat se secundum veterum regulam uxorem non ducere. 12. Ut curiales vel quibuslibet functionibus occupati, clerici non fiant. 13. Ut ancillae Dei velatae, si publice nubendo vel occulte se corruptioni tradiderint, non

admittantur ad poenitentiam, nisi, cui se junxerant, de seculo recesserit. **14.** *Ut ancillae Dei, necdum sacratae, si post nubere voluerint, ad poenitentiam recipiantur.*

INNOCENTIUS [1]) VICTRICIO

episcopo Rotomagensi, salutem.

---

1. Etsi tibi, frater carissime, pro merito et honore sacerdotii quo plurimum polles,

---

[1]) Siricio successit a. 398. Anastasius I, quem ut loquitur s. Hieronymus ep. 127. al. 16. n. 10. „diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur. Imo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.“ Unam tantum reliquit epistolam ad Joannem ep. Hierosolymorum super nomine Rufini. Eo defuncto a. 401. (sec. al. 402.) suffectus est in romana cathedra Innocentius I. vir insignis prudentiae atque sanctitatis, qui sanae fidei, integrae disciplinae, unitati et paci Ecclesiarum Orientis aeque ac Occidentis summopere adlaboravit, ut testantur plurimae ejusdem epistolae, quarum 34 adhuc supersunt. In illis autem absolutum romani pontificis exemplar intueri licet: conscius enim potestatis divinitus sibi traditae atque muneris concrediti solicitudinem gerit omnium ecclesiarum, curam suam impendit et Orienti et Occidenti; gravissimas res fidei et morum ordinat ac disciplinae ecclesia-

vivendi et docendi ecclesiasticae regulae nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minus collectum esse videatur; tamen quia romanae ecclesiae normam atque auctoritatem magnopere postulasti, voluntati tuae morem admodum gerens, digestas vitae et morum probabilium disciplinas annexas literis meis misi, per quas advertant ecclesiarum regionis vestrae popula quibus rebus et regulis christianorum viti, in sua cujusque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis romanae ecclesiis disciplina. Erit dilectionis tuae, per plebes finitimas et consacerdotes nostros, qui in illis regionibns propriis ecclesiis praesident, regularum hunc librum quasi didascalicum atque monitorem sedulo insinuare: ut et nostros cognoscere, et ad fidem confluentium

---

sticae praecipua capita sancit; paterne hortatur, authentice docet, cum potestate arguit atque corripit, sede pulsos episcopos solatur, tuetur: dubios atque nutantes confirmat, semper memor illius se esse successorem „in quo universalis Ecclesiae positum esse legimus fundamentum (Bonifacius 1. ep. 5. n. 1)." Omnes fere illius epistolae in hanc essenti collectionem recipiendae, sed propter collectionis angustias potioribus contenti erimus: quarum primas (in ed. Coustantii 2.) scripta a. 404. similis est primaes Siricii epistolae, quam edidimus.

mores valeant docendi sedulitate formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione cognoscent; aut si quid adhuc desideratur, facile poterunt ex bona imitatione supplere.

2. Incipiamus igitur, adjuvante sancto apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium, ut quoniam saepe plures emerserunt causae, quae in aliquantis non erant causae, sed crimina, ut de cetero sollicitudo sit unicuique sacerdoti in sua ecclesia curam hujusmodi habere, sicut apostolus praedicat Paulus, talem Ecclesiam Deo exhibendam, non habentem maculam aut rugam (Ephes. 5. 27.), ne alicujus morbidae ovis afflatu conscientia nostra contaminata violetur. Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent ecclesiasticam disciplinam, et multa non praesumenda praesumunt, recte postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet ecclesia romana, forma servetur. Non quo nova praecepta aliqua imperentur, sed ea, quae per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quae tamen apostolica et patrum traditione sunt constistituta. Scriptum est namque ad Thessalonicenses, Paulo monente: *State, et tenete tra-*

ditiones nostras, quas tradidi vobis sive per verbum, sive per epistolam (2.ep.2,14). Illud certe tuam debet mentem vehementius excitare, ut ab omni labe seculi istius immunis, ante Dei conspectum securus inveniaris. Cui multum enim creditur, plus ab eo exigitur usura poenarum. Ergo quoniam non pro nobis tantum, sed pro populo Christi cogimur praestare rationem, disciplinam deificam populum erudire debemus. Exstiterunt enim nonnulli, qui statuta majorum non tenentes, castitatem Ecclesiae sua praesumptione violarent, populi favorem sequentes et Dei judicium non timentes. Ergo ne silentio nostro existimemur his praebere consensum, dicente Domino: *Videbas furem, et currebas cum eo* (Ps. 49, 18); haec sunt, quae deinceps, intuitu divini judicii, omnem catholicum episcopum expedit custodire.

Cap. I. 3. Primum, ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare; integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur; nec unus episcopus ordinare praesumat; ne furtivum beneficium praestitum videatur. Hoc enim et in synodo nicaena constitutum est, atque definitum.

Cap. II. 4. Item si quis post remissionem pec-

catorum [1]) cingulum militiae secularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

Cap. III. 5. Si quae autem causae vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortae, ut secundum synodum nicaenam congregatis ejusdem provinciae episcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat (sine praejudicio tamen romanae ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias [2]). Quod si quis forte praesumserit, et ab officio clericatus submotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur.

6. Si majores causae in medium fuerint devolutae, ad sedem apostolicam, sicut sy-

---

[1]) *Post remissionem peccatorum* i. e. baptismum.

[2]) Respicit hic Innocentius, ut jam advertit Hincmarus rhem. opusc. 47. seu ep. ad Joannem VIII. c. 12., can. conc. nic. 5. et 6., verbis vero illis *sine praejudicio tamen* etc. canones 3, 4, 5. conc. sardicensis. Verba: *cui in omnibus causis debet reverentia custodiri* in pluribus codd. desiderantur, tamen in aliis pluribus leguntur, hinc a Coustantio retinentur.

nodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.[1])

Cap. IV. 7. Ut mulierem clericus non ducat uxorem; quia scriptum est: *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non ejectam* (Lev. 21, 13). Utique qui ad sacerdotium labore suo et vitae probitate contendit, cavere debet, ne hoc praejudicio impeditus, pervenire non possit.

Cap. V. 8. Ut is, qui mulierem licet laicus duxerit uxorem sive ante baptisimum, sive post baptismum, non admittatur ad clerum; quia eodem videtur vitio exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptae uxoris consortium relaxatur.

Cap. VI. 9. Ne is, qui secundam duxit uxorem, clericus fiat: quia scriptum est: *Unius uxoris virum* (1. Tim. 3, 2). Et iterum: *Sacerdotes mei semel nubant.* Et alibi: *Sacerdotes mei non nubent amplius* [2]). Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit

---

[1]) In nonnullis mss. desunt verba priora, *sicut synodus statuit;* in aliis posteriora, *et beata consuetudo exigit:* sed in pluribus utrumque legitur incisum. Ceterum utrumque est verissimum, ut patet ex dictis in praef. n. 4 ss.

[2]) Haec testimonia in divinis literis non occurrunt, citantur tamem etiam a Tertulliano, de monogamia c. 7; de exhort. cast. c. 7.

uxorem, et, ea de saeculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula, qui in baptismo hoc putat dimitti: remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur: cum utique uxor ex legis praecepto ducatur in tantum, ut et in paradiso cum parentes humani generis conjungerentur, ab ipso Domino sint benedicti; et Salomon dicat: *A Deo praeparabitur viro uxor* (Prov. 19, 14). Quam formam etiam sacerdotes omnes servare usus ipse demonstrat Ecclesiae. Satis enim absurdum est aliquem credere, uxorem ante baptismum acceptam post baptismum non computari; cum benedictio, quae per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutae doceatur. Quod si non putatur uxor esse computanda, quae ante baptismum ducta est: ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habebuntur [1]).

---

[1]) Hac Innocentii declaratione rejicitur Hieronymi sententia, qui ep. 69. al. 83. ad Oceanum acriter tuetur Carterii ordinationem, qui mortua priore uxore post baptismum alteram duxerat, esse plane legitimam. Bene enim ostendit summus pontifex, hoc in casu illam vigere irregularitatem, quam promulgavit s. Paulus 1. Tim. 3, 2., cum matrimonium

Cap. VII. 10. Ut de aliena ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam synodus statuit nicaena, ut abjectum ab altero clericum altera ecclesia non recipiat[1]).

Cap. VIII. 11. Ut venientes a Novatianis vel Montensibus[2]) per manus tantum impositionem suscipiantur; quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: praeter eos, qui si forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipi-

---

ante baptismum initum omnino sit legitimum. Sensus autem verborum: *Cum benedictio, quae per sacerdotem etc.* hic videtur: Benedictio sacerdotalis, quae matrimonio christiano impertitur, formam tenuit (loquitur enim pontifex de casu quasi praeterito, quo quis jam christianus novum init matrimonium post mortem uxoris ante baptismum ductae) legis a Deo antiquitus institutae i. e. imitata est normam ab ipso Deo in paradiso exhibitam, non dedit materiam i. e. licentiam delinquendi contra legem, qua arceantur bigami a susceptione ordinum, cum illa benedictio non sit argumentum, matrimonium ante baptismum initum fuisse invalidum. Cf. ep. seq. n. 10.

[1]) Illud scil. ne clericus alienus ordinetur sine consensu episcopi ipsius et sine voluntate vetatur can. 16. nic. et sardic. 19; hoc vero can. nic. 17.

[2]) *Montensibus* i. e. donatistis, de quo nomine cf. Optatum milev. de schismate donat. l. 2. n. 4. (opusc. t. 10. p. 80).

scentes, et ruinam suam cogitantes, redire maluerint, sub longa poententiae satisfactione admittendi sunt.

Cap. IX. 12. Praeterea quod dignum et pudicum et honestum est, tenere Ecclesia omni modo debet, ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant; quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur [1]. Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (Levit. 11. 44.). Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suae non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et praeter ex semine Aaron (Num. 18. 7.) ad sacerdotium nulli fuerat praeceptum accedere: quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debebunt, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad Corinthios scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut*

---

[1]) Cf. supra epist. 1. Siricii n. 8 ss.; ep. 2. n. 5 ss.

vacetis orationi (1. ep. 7, 5), et hoc utique laicis praecipit: multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* (Tit. 1. 15.)? Sed forte licere hoc credit, quia scriptum est: *Unius uxoris virum* (Tit. 1. 6.): non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: *Vellem autem omnes sic esse, sicut et ego* (1. Cor. 7. 7.). Et apertius declarat, sic dicens: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu* (Rom. 8. 8.).

Cap. X. 13. De monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordinem pervenerint, non debere eos a priore proposito deviare [1]). Aut enim sicut in monasterio

---

[1]) Cavet hic Innocentius, ne monachus ad eos clericatus ordines provectus, quibus uxorem ducere non interdicitur, a priore coelibatus proposito deficere sibi licere existimet.

fuit, et quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatus, et in monasterio sedens, ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit; quia nec benedici cum sponsa potest jam [1]) corruptus. Quae forma servatur in clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat, ut quisquis corruptus baptizatus, clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

Cap. XI. 14. Praeterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt; quibus postea major tristitia, cum de revocandis eis aliquid ab Imperatore praecipitur, quam gratia de adscito nascitur [2]). Constat enim, eos in ipsis muniis

---

[1]) Regulae hic ab Innocentio memoratae usum Caesarius arelatensis apud Augustinum append. to. 5. Ser. 289. confirmat his verbis: „Qui uxorem optat accipere, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit; quia si non fuerit, benedictionem cum sponsa accipere non merebitur.“

[2]) Curiales seu decuriones dicebantur, qui magistratibus atque officiis fungebantur municipalibus: ad eos pertinebat tributorum, aedificiorum, munerum seu ludorum publicorum cura. Jam vero his aegre ad-

etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse non dubium est, et ludorum vel munerum apparatibus aut praeesse, aut interesse. Sit certe in exemplum sollicitudo et tristitia fratrum, quam saepe pertulimus Imperatore praesente, cum pro his saepius rogaremus, quam ipse nobiscum positus agnovisti, quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam jam in sacerdotio constituti ingens molestia ut redderentur imminebat.

Cap. XII. 15. Item quae Christo spiritaliter nupserunt, et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam poenitentiam[1]), nisi is, cui se jun-

---

modum permittebatur per imperatorum leges accessus ad clericorum ordines: quod si tamen ordines suscepissent, revocabantur nonnunquam ab imperatoribus ac jubebantur ea exhibere, quae status sanctitati adversabantur, hinc hoc Innocentii consilium, quo persuadere vult, ne curiales ordinentur. Cf. ep. seq. n. 7, 9.

[1]) Haec non de quacunque poenitentia sunt intelligenda, ut per se patet, sed de solemni, publica, ad quam saltem hac jam aetate non quilibet etiam gravium criminum rei promiscue admittebantur, sed aliqui tantum cum quodam selectu, quod semel tantum concederetur et cum magna quadam solemnitate

xerant de seculo recesserit. Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi[1] unus ex eis defunctus fuerit: quanto magis de illa tenenda est, quae ante immortali se sponso conjunxerat, et postea ad humanas nuptias transmigravit?

Cap. XIII. 16. Hae vero, quae necdum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali se promiserant permanere, licet velatae non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore poenitentia est; quia sponsio ejus a Deo tenebatur. Si enim inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi; quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non debet? Nam si apostolus Paulus, quae a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt;

---

perageretur. Hisce autem, de quibus hoc in c. est sermo, videtur negata haec poenitentia propter relapsus periculum, quod complice defuncto minuebatur. Ex hac Innocentii I. sanctione nullatenus sequitur, eum habuisse ejusmodi sacratarum virginum conjugia pro validis; alioquin sequeretur illum etiam valida censuisse matrimonia adulterina, quod absurdum.

quanto magis virgines, quae priori promissioni fidem frangent?

17. Haec itaque regula, frater carissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei sacerdotibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, haereses et schismata non emergent, locum non accipiet diabolus saeviendi, manebit unanimitas, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali fervore flagrabit, pax praedicata labiis cum voluntate animae concordabit. Implebitur et dictum Apostoli, ut unanimes, unum sentientes, permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis neque per inanem gloriam vindicantes (Philip. 2. 2. et 3.); non hominibus, sed Deo nostro Salvatori placentes, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Data 15. Kalendas Martii, Honorio Augusto 6. et Aristeneto conss.[1]).

---

[1]) I. e. 15. Febr. a. 404.

EPISTOLA II.

INNOCENTII AD EPISCOPOS IN SYNODO TOLETANA.

DE DISSENSIONE CORRUPTAQUE DISCIPLINA ECCLESIARUM HISPANIAE [1]).

1. Quod episcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab haeresi conversos perperam dissideant. 2. De episcopis a Rufino et Minicio in alienis ecclesiis contra canones ordinatis. 3. Ut Joannis episcopi causa examinetur, aliorumque qui communionis consortium refugiebant. 4. De vitiosis multorum ordinationibus ita dissimulari quae hactenus usurpata sunt, ut in posterum prohibeantur. 5. Ut Gregorii Emeritensis episcopi querela discutiatur. 6. Quosnam ad clericatus ordinem admittere liceat: qualesque eligendi sint. Et quod bigamum faciat etiam illa quae ante baptismum uxor fuit.

Innocentius universis episcopis in toletana synodo constitutis, dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

1. Saepe me et nimia cum teneret cura

---

[1]) Epistolam hanc, quae prius breviorem ad for-

sollicitum super dissensione et schismate ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere et citatiore gradu incedere fama proloquitur; necessarium tempus emersit, quo non posset emendatio tanta differri, et deberet congrua medicina provideri. Nam fratres nostri coepiscopus Hilarius et Elpidius presbyter, partim unitatis amore permoti, partim qua laborat provincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad sedem apostolicam commearunt, et in ipso sinu fidei violatam intra provinciam pacem, disciplinae rationem esse confusam, et multa contra canones patrum, contempto ordine regulisque neglectis, in usurpatione ecclesiarum fuisse commissa, nec concordiam, in qua fidei nostrae stabilitas tota consistit, posse retineri, cum dolore et gemitu prosecuti sunt: quae in consessu [1]) presbyterii actorum confectione retinentur, et possunt vobis lectione monstrari.

---

mam redacta et mutila prodiit, integram nactus est atque vulgavit primum Jacobus Sirmondi. Scripta autem ea est patribus in concilio toletano I. a. 400. congregatis, ut pluribus ostendit Coustantius in monito praefixo. In editione Coustantii numero est III.

[1]) Id est cleri romani, hoc nomine repetito a digniori gradu. Ad eundem consessum maxime in hujusmodi causis etiam convocari solebant episcopi, qui Romae agebant.

Cap. I. 2. Jam primum, quod ad ipsam fidem attinet, quod baetici vel carthaginienses episcopi propter galliciorum communionem a pace omnium discesserunt, orta dissensio est: quae non solum non minuitur, verum etiam per dies singulos studio contentionis augetur, cum obtinendi proposito [1]) unusquisque quod voluit, aeternum orbem mali et circulum quendam de tali animositate fecerunt: cum utique bono cuique in rebus talibus vinci melius sit, quam malo more pravum propositum quod semel placuit obtinere. Nam quae alia causa et superioribus temporibus illius Luciferi praeter pertinaciam fuit, quae eum retraxit a concordia illorum, qui arianorum haeresim prudenti conversione damnaverant? Eodem

---

[1]) *Obtinendi* i. e. vincendi. Reprehendit hic Innocentius episcopos baeticos et carthaginienses (non urbis Carthaginis in Africa, sed illius provinciae, quae est in Hispania, (*Cartagena*) quod simili de causa schisma facerent, quae quondam arianorum tempore Luciferum calaritanum a concordia retraxit. Aegre enim ferebant hi episcopi, quod priscillianistae resipiscentes etiam cum suis honoribus fuerint amore pacis et bono unitatis in Ecclesiam recepti: ita *aeternum orbem mali et circulum quendam* fecerunt, ut argute advertit Innocentius. Dum enim hac suavi agendi ratione Ecclesiae multi haeretici ad reditum alliciebantur et ita haeresis malum minuebatur, ipsi schismate suo novi mali erant auctores.

studio, Priscilliani detestabili secta omnium merito consensione damnata, receptos in catholicam fidem eos, qui consilio saniore conversi sunt, aegerrime aliquos tulisse cognovimus: quibus factum utile et ipsam ecclesiarum pacem displicuisse detegitur. Nam cum unitatis proposito ipsi quoque Symphosius atque [1]) Dictinius, damnantes pravam haeresim, sint recepti, ut personis talibus amputatis exstingueretur penitus innata dissensio; inventi sunt quibus recte facta ipsa correctio displiceret. Et nunc ecclesiae dissident, quae non modica a se animositate

---

[1]) Ille Dictinius Priscilliani placita non modo secutus erat, sed et libris asseruerat. Postmodum vero in concilio toletano quaecunque male vel senserat vel scripserat detestatus, dixit: „Omnem praesumptionem meam de scriptis meis arguo atque condemno." Et mox: „Iterum repeto, in priori comprehensione mea et in principiis conversionis meae quaecunque conscripsi, omnia me toto corde respuere. . . . Excepto nomine Dei omnia anathematizo. . . Omnia quae inveniuntur contra fidem cum ipso auctóre condemno." Illius tamen scripta supprimi non ita accurate valuerunt, quin et ad Leonis papae tempora a multis cum veneratione legerentur, quibus quidem is papa epist. 17. n. 19. auctor est, ut „reparationem ejus magis debeant amare quam lapsum."

dissimulant[1]). Quod si saniore consilio a sacerdotibus fuisset custodita correctio, et status catholicae fidei integer permaneret, et nullum scandalum concordiam rebus omnibus utilem corrupisset.

3. Quaero enim, quare doluerint Symphosium atque Dictinium, aliosque, qui detestabilem haeresim damnaverunt, receptos in fidem catholicam tunc fuisse? Num quod non aliquid de honoribus amiserint, quos habebant? Quod si quos hoc pungit aut stimulat, legant Petrum apostolum post lacrymas hoc fuisse quod fuerat: considerent Thomam post dubitationem illam nihil de prioribus meritis amisisse: denique David prophetam egregium post manifestam confessionem suam prophetiae suae meritis non fuisse privatum. Quod si emendatio conversionis et errores ipsos amputat, et retinet dignitates; quae malum ratio est, viam recti et iter quod dirigat ad salutem proposito pertinaciae nolle retinere?

4. Quare incumbendum est dilectioni vestrae, et bonis sacerdotibus adnitendum, quatenus praeeunte doctrina in unitatem catho-

[1]) *Dissimulant* i. e. discordant et in simultates abeunt.

licae fidei omnes qui dispersi sunt congregentur; et esse inexpugnabile unum corpus incipiat, quod si separetur in partes, ad omnes patebit lacerationis injurias, et ex sese pestem patietur internam, quando secum compago ipsa confligit. Sed haec generaliter de unitatis reformatione omnes, tamquam singulis scripta sint, accipiant sacerdotes. Dehinc in partes animum super omnibus dilectio vestra quae proponentur intendat.

Cap.II.5.Non enim latere potuit, quod Rufinus atque Minicius episcopi in alienis ecclesiis, contra nicaenos canones, episcopos usurpaverunt ordinare. Haec ne quis sibi audeat vindicare, saltem nunc a nobis est salubriter providendum: ne improba[1]) usurpatione dissimulatio in deterius convalescat, et fiat de consuetudine regula, quae non veniat ab ipsa, quae literis mandata est disciplina. Qua in re Hilarii fratris et consacerdotis nostri querela primitus audiatur, qui asseruit Rufinum contra ecclesiarum pacem omni oppugnatione fuisse versatum, et dudum in concilio toletano erroris sui veniam postulasse, et nunc, cum metropolitano episcopo

---

[1]) Clarius diceretur, „ne improba usurpatio dissimulatione."

ordinandi sacerdotes [1]) pontificium deberetur, contra populi voluntatem et disciplinae rationem episcopum locis abditis ordinasse, ecclesias scandalis miscuisse. Dehinc tarraconensium episcoporum est causa tractanda, qui pari modo Minicium in gerundensi ecclesia episcopum ordinasse conquesti sunt; et juxta nicaenos [2]) canones ferenda est de tali usurpatione sententia. Illorum etiam episcoporum, qui a Rufino vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio: ut quia perperam facti sunt, intelligant id, quod vitioso initio adepti sunt, se diutius obtinere non posse.

Cap. III. 6. De Joanne quoque episcopo, cujus in synodo toletana super receptis Symphosio

---

[1]) *Sacerdotes* i. e. episcopos, qui tunc temporis simpliciter dicebantur *sacerdotes*. Episcopos cujusque provinciae citra metropolitani consensum ordinari vetant conc. laodicenum c. 12; nicaenum can. 4. et 6; antiochenum can. 19. Vide et Ferrandum Breviar. can. c. 4. Episcopi autem in abditis locis creatio sardicensis conc. can. 6. adversatur. Coustantius.

[2]) Eum, qui ita fuerit ordinatus, episcopum esse non debere nicaena synodus can. 6. declarat. Quod et antiochenum concilium can. 13. confirmans, insuper et in usurpatae ordinationis auctores depositionis poenam decernit.

atque Dictinio per legatos consensus accessit, et cui probabilis visa illa correctio, examinentur quae postea sunt secuta. Et prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communio, plena inquisitio vestigetur, ut secundum decretum synodi toletanae, vel communionis consortio propter abolendam suspicionem schismatis misceantur, vel si qui fuerint deprehensi qui abnuant concordiam et constituta placitorum, a communione catholicae fidei per dilectionis vestrae sententias abdicentur: ut jam non internum malum, quod tacitum non desinit semper [1]), sed schismaticorum manifesta professio contagioque vitetur.

Cap.IV.7.Nam de ordinationibus, quas pravae consuetudinis vitio hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum,

---

1) Labbeus et Sirmondi habent: *non desinit serpere*, sed in mss. legitur: *non desinit semper*, forte, ut conjicit Coustantius, pro *non se sinit semper* scil. tacitum et intus contineri, sed erumpere tandem ac verbis aut gestis prodere se solet. Prudentissime tamen hortatur, ut vitetur „schismaticorum manifesta professio contagioque" lata scil. *judiciali* sententia, ne suspicionibus tantum judices seu episcopi hac in re ducantur.

nisi perpenderemus, ne perturbationes quam plurimas ecclesiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quae quoquo modo facta sunt, in dubium non vocemus, sed Dei potius judicio dimittamus. Quantos enim ex his, qui post acceptam gratiam [1]) in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperunt, adscitos ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur? quantos ex aliqua militia, qui cum potestatibus obedirent, necessario praecepta sunt exsecuti? quantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quae sibi sunt imperata fecerunt? quantos qui voluptates et editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii pervenisse? quorum omnium neminem ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire.

---

[1]) *Gratiam* i. e. baptismum. Hic notari videntur actores causarum, qui licet iniquas interdum suscipiant, eas tamen eloquentiae vi ac pertinaci studio obtinere nituntur. Constantius. Cf. sequentia cum n. 14. ep. praecedentis et infra n. 9. *Praecepta* vero et *imperata*, quorum hic meminit pontifex, non quaecunque sunt, ut per se patet, sed talia, quae constituerent v. gr. irregularitatem ex defectu lenitatis.

Quae si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda haec potius putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestrae maturitas providere debebit, ut tantae usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, ut si qui post haec adversus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, una cum creatoribus suis ipso, in quo inventi fuerint, ordine et honore priventur.

Cap. V. 8. Gregorii etiam Emeritensis episcopi, qui in locum Patruini venerabilis recordationis est ordinatus, querela si qua est audiatur: et si contra meritum suum passus est injuriam, in invidos honoris alterius vindicetur: nec posthac in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat.

Cap. VI. 9. Et quamvis dilectioni vestrae, fratres carissimi, regulae nicaenae sint cognitae, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis [1]); tamen aliquam

---

[1]) Nimirum ut Sirmondus et Constantius censent in ipsius toletani concilii praefatione.

partem, quae de ordinationibus est provisa, inserendam putavi [1]), ut secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quae sunt prohibita digeruntur. Ne quispiam, qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti; neque qui causas post acceptum baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administraverint: neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint [2]), et editiones publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne iidem, qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, reposcantur. Quae omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri.

---

[1]) Orationis series hic postulat „et secundum.“ Et quidem antiquariis *ut* pro *et*, ac vicissim *et* pro *ut*, frequens excidit.

[2]) In iis solemnitatibus, quae de gentilium ritu manabant, et in quibus magistratus sacerdotium daemonum cultui dicatum repraesentare cogebantur unde et coronari solebant. *Editiones publicas* i. e. ludos publicos multiplici gentili ritu vel crudelitate infectos.

10. Quales vero eligendi sint in ordine clericorum, evidens forma declarat: id est, qui ab ineunte aetate baptizati fuerint, et lectorum offiicio sociati; vel si majores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus manciparint. Et si uxores habuerint, quaerendum si uxorem virginem acceperint: quia scriptum est in veteri Testamento: *Uxorem virginem accipiat sacerdos* (Levit. 21. 13.); et alibi: *Sacerdotes mei semel nubant*[1]). Neque qui duas uxores habuerit, quia Paulus apostolus ait: *Unius uxoris virum* (1.Tim. 3, 2). Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defensione pravi erroris opponunt et asserunt, quod ante baptismum uxor accepta non debeat imputari; quia in baptismo omnia dimittuntur: non intelligentes hujusmodi, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, nec uxorum numerus aboletur. Nam si *a Deo*, ut scriptum est, *praeparatur viro uxor* (Prov. 19. 14.), et *quod Deus junxit, homo non separet* (Matth. 19. 6.); et ipsi auctores generis humani in origine a Domino benedicuntur: quomodo inter peccata, ista

---

[1]) Cf. quae annotavimus ad epist. superiorem n. 9. circa haec verba; ac generatim h. n. cum illo.

creduntur posse dimitti? Quod si secundum illos, qui ita credunt, verum est; ergo omnis justitia, quae a catechumenis ante baptismum fuerit operata, per baptismum auferetur. Nullus ergo contra Apostolum tale aliquid sentiat nec admittat: sed fideliter intelligat, *unius uxoris virum* sive ante baptismum sive post baptismum esse nominatum. Si enim uxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum, nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt numerari. Quod quam absurdum sit atque alienum, prudentia vestra melius aestimabit. Unde nemini liceat interpretari aliter divinas Scripturas, nisi quod recta ratio permittit: ne dum remedia sibi iniqua ad excusationem praeparant, et corrupisse legem, et regulas evertisse judicentur. Sed ea tenenda sunt, quae et divinarum Scripturarum series continet, et a sacerdotibus utili ratione sunt instituta. *Et alia manu:* Bene valete, fratres carissimi.

EPISTOLA III.

INNOCENTII AD EXSUPERIUM EPISCOPUM TOLOSANUM.

1. De incontinentia sacerdotum vel levitarum. 2. De ultima poenitentia. 3. De administratoribus. 4. Quod viri cum adulteris uxoribus non conveniant. 5. Quod qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes. 6. Quod ii qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se nuptiis aliis junxerint, adulteri esse monstrentur. 7. Qui libri in canone recipiantur.

Innocentius Exsuperio episcopo tolosano salutem.

---

1. Consulenti tibi, frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiae meae quae sunt visa respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua, institutum secuta prudentium, ad sedem apostolicam referre

---

[1]) In edit. Coustantii 6. Scripta ut patet ex fine 20. Decembr. 405.

maluit quid deberet de rebus dubiis custodire, potius quam usurpatione praesumpta quae sibi viderentur de singulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus discere aliquid, quam omnino nescire? Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor: eoque fit, ut aliquid semper addiscat, qui postulatur ut doceat. Proponam igitur singula subjiciamque responsum.

Cap. I. 1. Proposuisti, quid de his observari debeat, quos in diaconii ministeriis aut in officio presbyterii positos incontinentes esse aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his et divinarum legum manifesta est disciplina, et beatae recordationis viri Siricii episcopi monita evidentia commearunt [1], ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri. Est enim vetus admodum sacrae legis auctoritas, jam inde ab initio custodita, quod in templo anno vicis suae habitare praecepti sunt sacerdotes; ut servientes sacris oblationibus puros et ab omni labe purgatos sibi vindicent di-

[1]) Cf. supra ep. Siricii 1. n. 8 ss.; ep. 2 n. 5 s.

vina ministeria: neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium, quia scriptum est: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (Levit. 11. 44.). Quibus utique, propter sobolis successionem propterea uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad sacerdotium nullus fuerat praeceptus accedere; quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad Corinthios scribit dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (1. Cor. 7. 5.) et hoc utique laicis praecepit; multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare usurpabit, aut qua conscientia quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* (Tit. 1. 15.)?

3. Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est: *unius uxoris virum* (1. Tim.

3. 2.). Non permanentem in concupiscientia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: *Vellem autem omnes sic esse, sicut et ego* (1. Cor. 7, 7.): et apertius declarat, dicens: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu* (Rom. 8, 9.): et *habentem filios* (1. Tim. 3, 4.), non generantem, dixit.

4. Sed ea plane dispar et divisa sententia est. Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticae vitae pariter et disciplinae, quae ab episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos, in quibus inventi fuerint, sic retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere. Quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum quem retinent, non amittunt. Si qui autem scisse formam vivendi missam a Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse; illi sunt modis omnibus submovendi, qui post admonitionem cognitam, praeponendam arbitrati sunt voluptatem.

Cap. II. 5. Et hoc quaesitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum

omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt.

6. De his observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior[1].

---

[1]) Ad haec Innocentii verba passim provocant illi theologi, qui contendunt, primis Ecclesiae seculis *universim* viguisse diram illam praxim denegandi quibusdam gravium criminum reis absolutionem. Inde vero hanc confirmari posse sententiam nobis non videtur. Distingui enim 1) potest duplex communio, inchoata altera, ἐφόδιον maxime necessarium, quae absolutione continetur, altera perfecta omnium bononorum ecclesiasticorum, eucharistiam in primis complectens, quae singulari ratione dicebatur *communio*, pax. Hanc potuisse negari nonnunquam concedimus, quin tamen prior fuerit negata, et de hac licet Innocentium interpretari. Testatur 2) Innocentius hisce miseris fuisse concessam saltem poenitentiam: sed non solebat Ecclesia poenitentiam imponere, quin faceret spem veniae, ut ostendimus in annot. opusc. t. 5. p. 108. ss. Imponere poenitentiam denegata spe veniae est pura putidaque praxis novatiana, hanc consuetudinis instar in Ecclesia ubique viguisse quis unquam dixerit. Testatur 3) Innocentius negatam fuisse communionem, sed concessam poenitentiam, *ne totum penitus negaretur*: Sed negata venia et absolutione *totum* fuisset denegatum. Quid enim prodest ligare, si non sequitur solutio, cum omnes crederent secundum Christi verba, quae authentice essent ligata in terris, ligata fore et in coelis, quandiu non

Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur. Nam

---

essent soluta? Neque obstat ratio, quam reddit pontifex mitioris disciplinae (ne Novatiani . . . duritiam sequi videamur), nam negare poenitentibus in articulo mortis perfectam pacem, plenam absolutionem, integram communionem non est quidem praxis novatiana, sed ad eam accedit, eam propemodum sapit, et quia Ecclesia vel umbram praxis haereticae cavere debet, merito et hanc consuetudinem abrogavit. Neque obstant verba, quibus hujus mitioris disciplinae *finis* significatur, *ut* homines hujusmodi . . . *a perpetuo exitio vindicentur*, cum supponere non liceat, Ecclesiam sequendo consuetudinem, cujus meminit Innocentius (et quam illi theologi universalem fuisse contendunt), hanc a perpetuo exitu liberationem data quasi opera neglexisse. Quare horum verborum sensus est: ut hujusmodi homines omni quo possunt subsidio, et salutis medio a perpetuo exitio vindicentur. Jam vero id fiet eo efficacius et securius, quo pluribus sacramentis juventur, quamvis vel unum sufficeret. Quod si aliquid adversariis concedi posset, esset ad summum hoc, Innocentium respicere consuetudinem, quae aliquibus in ecclesiis particularibus (non in Ecclesia universali, quod saltem probari nequit, cf. Collet de poenit. p. 2. c. 5. diss. hist. concl. II.) invaluit denegandi veniam *clinicis*, qui scil. ad mortem usque poenitentiam differebant, quod dubitaretur de sinceritate poenitentiae, citra quam nulla est peccatorum remissio, quia rogare illos non delicti poenitentia sed morbi urgentis admonitio compellit, ut loquitur s. Cyprianus hujus praxis (sed tantum circa

cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur: et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum poenitentia extrema communio: ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur.

Cap. III. 7. Quaesitum etiam est super his, qui post baptismum administraverunt [1]), et

---

lapsos) fautor (ep. 52). Sed ingens fieret contra omnes logicae regulas saltus, si ex hac praxi quis inferret thesim illam, Ecclesiam primis seculis lege *universali* quorundam criminum reis *nulla habita ratione dispositionis quasi a priori* veniam denegasse, quod tamen contendunt plures alioquin eruditi theologi.

[1]) *Administraverunt* scil. judicis partes egerunt; liquet enim ex contextu de hoc solo administrationis munere esse sermonem.

aut tormenta [1]) sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam.

8. De his nihil legimus a majoribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei esse ministrum vindicem in hujusmodi datum. Quemadmodum igitur reprehenderent

---

[1]) Pith. ms. *tormenta sua*. Verius alii *sola*, quibus scil. mors reis non inferatur. Quorsum haec instituatur quaestio, ex epistola 25. Ambrosii ad Studium supplere et explicare liceat. Is quippe pariter quaesierat, utrum quis post latam capitalem sententiam abstinere a sacramentorum communione deberet. Cui Ambrosius n. 2. respondet: „Sunt, extra Ecclesiam tamen, qui eos in communionem non vocent sacramentorum coelestium, qui in aliquos capitalem sententiam ferendam aestimaverunt.“ Statimque addit: „Plerique etiam sponte se abstinent; et laudantur quidem: nec ipsi eos possumus non praedicare, qui auctoritatem Apostoli eatenus observamus, ut iis communionem non audeamus negare.“ Demum quid majoribus ea de re visum sit n. 9. aperit his verbis: „Et ideo majores maluerunt indulgentiores esse circa judices, ut dum gladius eorum timetur, reprimetur scelerum furor, et non incitaretur: quod si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata poena. Maluerunt igitur priores nostri, ut in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit legis.“ Coust.

factum, quod auctore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita, ut hactenus servatum est, sic habemus, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur.

Cap. IV. 9. Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxoxes in consortio adulterorum virorum manere videantur [1]).

10. Super hoc christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consuerunt: et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur. Virorum autem, latente commisso, non facile aliquis ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit interdum, probatione cessante, vindictae ratio conquiescit.

---

[1]) Quaestio est sat obscura, sed ex responso hoc videtur quaeri: Quare viri adulteri longe facilius ad communionem admittantur, quam uxores, quae tam facile abstinentur i. e. a communione arcentur.

Cap. V. 11. Illud etiam sciscitari [1]) voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur, utique post baptismi regenerationem, a principibus poscere mortem alicujus, vel sanguinem de reatu. Quam rem principes nunquam sine cognitione concedunt; sed ad judices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, ut causa cognita vindicentur. Quae cum quaesitori fuerint delegata; aut absolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur. Et dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

Cap. VI. 12. De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui

---

[1]) Ad marginem ms. Colb. Langob. ista notatur capitis hujus summa: „De advocatis, qui secundum facinus promunt sententias." Verum de iis potius, qui capitales poscunt sententias, imo qui eas poscentibus preces dictant, quam de iis qui promunt hujusmodi sententias, quaestio exsistit. Haec autem, sicut et quae cap. 3. proposita est, quantum a sanguine adhorreat Ecclesia, patefaciunt. Sic vero Innocentius iis, qui post baptismum vel administraverint, vel capitalem sententiam postulantibus preces dictaverint, communionem non negat, ut eos tamen a clero arceri epist. 37. n. 5. doceat. Coust.

vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hae personae, quibus tales conjunctae sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, moechatur; similiter et qui dimissam duxerit, moechatur* (Matth. 19, 9.). Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem, aut de propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

Cap. VII. 13. Qui vero libri recipiantur in canone brevis [1]) annexus ostendit. Haec sunt quae desiderata moneri voce voluisti: Moysi libri quinque, id est, Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, et Jesu Nave, Judicum unus, Regnorum libri quatuor, simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum Job liber unus, Tobi liber unus, Hester unus, Judith unus, Machabaeorum duo, Esdrae duo, Paralipomenon libri duo. Item novi Testamenti: Evangeliorum libri

---

1) *Brevis* substantive hic accipitur pro *catalogo*.

quatuor, Pauli apostoli epistolae quatuordecim, epistolae Johannis tres, epistolae Petri duae, epistola Judae, epistola Jacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Johannis. Cetera autem, quae vel sub nomine Mathiae sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri et Johannis, quae a quodam Leucio scripta sunt[1]), [vel sub nomine Andreae, quae a Nexocharide et Leonida philosophis], vel sub nomine Thomae, et si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. Data x. Kalendas Martias, Stilicone secundo et Anthemio viris clarissimis consulibus.

---

[1]) Quae uncinis inclusa sunt, omittit Quesn. neque exstant nisi in exemplaribus coll. Dion. Hisp. et Isid. Mox idem Quesn. cum uno ms. Colb. et altero Pith. praefert „et si qua sunt talia,“ ubi ceteris in libris legitur *alia*.



INDEX.

Pag.